12

REGES FRANCORUM MEROVINGICI.

Documentorum authoritate ASSERTI

a

JOH. LUD. LEV. GEBHARDI.




LUNEBURGI Anno 1736.
Impensis JOHANNIS GEORGII ABT.

VENERABILI. ET. PERILLUSTRI.
DOMINO.
DN. JOACHIMO. ERNESTO.
GROTE.
VICEDOMNO. DE. DOMO.
S. MICHAELIS.
DUCATUS. LUNEBURGENSIS. A.
CONSILIIS. PROVINCIALIBUS.
SATRAPÆ. IN. EKLINGEN.
DYNASTÆ. IN. SNEGE. REL.
ACADEMIÆ. QVÆ. LUNEBURGI. EST. EQVESTRIS.
COMPATRONO.

HAS. PAGINAS.
EA. QVA. PAR. EST. MENTIS. VENERATIONE.
DICAT. ATQVE. OFFERT.

DEVOTISSIMUS. CLIENS.
J. L. L. GEBHARDI.

LECTORI
S.



aucis Te morabor, Lector benevole. Electorum olim & Ducum Germaniæ familias promiſi documentis & coævis teſtibus comprobatas in ſinum tuum effundere. Qvominus hactenus fidem liberaverim, obſtitit tum difficultas conqvirendorum undiqve, quibus opus erat, librorum, tum vero arduum expeditu negotium, tot nodis ſcrupulisque obſtructum, ut illis vix par fuerim ſolvendis. Emerſi tandem, præloqve paratos habeo, plerosqve Germaniæ ſuperiores Principes, cum Comitibus in

Duca-

Ducatibus quondam conſpicuis. Ut vero innoteſcat, qvam legem mihi in elaborandis gentibus impoſuerim, progeniem Merovingicam ea norma deſudatam Tibi offerre in exemplum conſtitui. Qvæ ſi Tibi non omnino faſtidio fuerit, ſpero & reliqvos labores non iri aſpernatum. Hæc Te ſcire volui. Vale meisqve ſtudiis fave.

ASSER-

Rex Gentilium five
m. a. 355. *Pag. 5.*

: Rex Francorum cis Rhe-
1. 374. *Pag. 6.*

um cis Rhenum.

Richomeres Dux Militiæ Romanæ. Ascila uxor occila 411

x Francorum

GENEBALDUS Dux Francorum. *Pag. 7.*

THEODOMERES Rex Francorum occisus cum matre 411 *Pag. 8.*

)S II Rex Francorum cis Rhenum
æ † 428. *Pag. 9.*

CLODIO Rex Francorum 428 † 448 *Pag. 10.*

CHLODEBALDUS paterno regno a Merovæo emunctus occupat Coloniam Treviros & Regnum Ripuariorum. *Pag. 14.* Hujus forte filius

FILIUS Aetio carus duxit Senatoriæ gentis virginem. *Pag. 14.*

SIGEBERTUS Claudus, Rex Coloniæ. Adest Clodovæo in prælio Tolbiacensi 507. Occisus a filio 509. *Pag. 18.*

ODERICUS Rex Ripuariorum dolo Clodovei idit patrem & ipse occiditur 510. *Pag. 18.*



ASSERTIONES
TABULÆ I.

Explosa diu, gravibusque argumentis rejecta fabula de origine Francorum ex equo Trojano petenda, quam AUTOR GESTORUM REGUM FRANCORUM apud FREHERUM pag. 57. & 58. protulit primus, Priami prioris Francorum Regis nomine seductus, ingentemque autoritate sua sequentium Scriptorum turbam in suam opinionem traxit, quos tamen heic repetere non attinet. Auxit immensum TRITHEMII viri alioquin integerrimi vel protervia imponendi curiosis rerum Francicarum, vel pia credulitas HUNIBALDO cuidam, ficto ne an vero dubium, concessa. Recensuit præeunte, ut fatur, Hunibaldo dicto, tot Regum Ducumque inde ab Ilio everso seriem, ut mole ista ad fraudem sic satis composita facile seculi barbariem in sententiam rapere potuerit. Ex Pannonia vicina Thuringiæ accersunt Francos GREGORIUS TURONENSIS l. 2. cap. IX. & sequaces. GEOGRAPHI RAVENNATIS verba l. 1. cap. XI: *quarta ut hora noctis Normannorum est patria, quæ est Dania ab antiquis, cujus ad frontem Albes vel patria Albis Maurunganis certissime antiquis dicebatur, in qua patria Albis FRANCORUM LINEA remorata est*, tanti visa sunt LEIBNITIO, ut singulari libro Hannoveræ 1715. excuso, fide ANONYMI adstruere annisus sit, *Francorum lineam* seu majores, regionem incoluisse intra mare Balthicum & Albim, atque, cum regio ista intra Eidoram atque Panim amnes contineatur, hodiernamque Holsatiam, Lauenburgicum,

Meclenburgicumque Ducatus atque Pomeraniæ partem complexa sit, Reudignos, Aviones, Anglos, Werinos sive Varnos, Eudoses a Tacito memoratos, una cum Herulis, Rugiis, Cimbris, Saxonibus, Danis atque Jutis Francorum lineam constituisse. Suffragatur LEIBNITIO tum PAULUS WARNEFRIDUS vulgo Diaconus, qui Mauringiam ad mare Balthicum sitam fuisse asserit, tum ERMOLDUS NIGELLUS a Celeberrimo MENKENIO T. I. primum divulgatus, qui l. 4. pag. 934. de Haraldo Dano fidem Christi recepturo agens hæc cecinit:

Hic populi porro veteri cognomine Deni
Ante vocabantur, & vocitantur adhuc.
Nort- quoque Francisco dicuntur nomine manni,
Veloces, agiles, armigerique nimis.
Ipse quidem populus late pernotus habetur
Lintre dapes quærit, incolit atque mare.
Pulcher adest facie, cultuque statuque decorus,
UNDE GENUS FRANCIS, adfore fama refert.
Victus amore Dei, generisque misertus aviti
Temptat & hos Cæsar lucrificare Deo.

Aliam ingressus est viam Ravennatem interpretandi GUNDLINGIUS in Gundlingianorum parte 3. Maurunganiam non protendit tantum versus cadentem solem ad mare germanicum, sed etiam omnem Armoricam atque Britanniam majorem ipsi innectit, ideoque aliis rationibus, quarum præcipua *Mota palus* Bremensium cum paludibus Mœotidis, ad quas consedisse primum feruntur Franci, apprime conveniens, adjectis evictum ivit, Francorum majores in Paludibus Bremensibus moratos fuisse, inde paludicolas quondam nuncupatos. Priorem LEIBNITII sententiam tuetur ECCARDUS in præfatione ad LL. Salicas, atque in Commentariorum de rebus Wurzburgensibus T. I. sub initium pressius designavit fines antiquissimorum Francorum, dum eos Wagriæ includit, ipsumque nomen Wagriæ ex Francia natum autumat. Hæ disquisitiones nituntur unico RAVENNATIS GEOGRAPHI testimonio, quam parum vero fidei Epitomator Gvidonis Ravennatis Geographi Sec. 9. a PORCHERONIO editus, barbarus, incultus, mancus, & sterilis mereatur, luculenter atque erudite demonstravit sagacissimus Autor dissertationis de CHOROGRAPHIÆ

GRAPHIA MEDIA ITALIÆ apud MURATORIUM *Sectione secunda integra.* Atque hæc in causa sunt, cur nulli sententiæ accedentes originem Francorum in medio relinquamus. Etymon vocis eruditos magis adhuc in diversa rapuit. Sunt, qui a Francione rege quodam Hunibaldino dictos autumant. JOANNES ISAACUS PONTANUS in Originibus Francicis a FRANCISCA armorum genere, cujus imaginem ECCARDUS Wurzb. T. I. pag. 40. expressit, deducere amavit. WENDELINUS Glossario ex Atuatica voce Wrang/ quæ ferocem denotat, formatos opinatur Francos. Plerique libertatis studium cognomen addidisse populo ferunt. Novissime omnium ECCARDUS ex Warge/ latrone, pirata, factum Frank profugus, indeque Francos ortos operose satis probare voluit Wurzburg. T. I. pag. 4. Perinde est, quem sequaris. *Res*, enim inquit GUNDLINGIUS de Conrado I. pag. 6. *non est tanti, ut Saxa propterea conglobare fas sit, aut excitare ignes, sive veros sive fatuos.* Difficilior quæstio de natali solo Legum Salicarum atque epocha earum. Utrumque densissimis involutum tenebris. SIGEBERTUS GEMBLACENSIS Faramundum Autorem crepat. WENDELINUS in Brabantia Salaheim & reliqua loca seperiisse persvasus, eam voluit esse Legum patriam. LEIBNITIUS in disquisitione de Origine Francorum, & altera de iis, Gundlingianorum parti VI. inserta, rogatas leges autumat, gentilibus adhuc Francis inter Albim, Saltum Hercynium atque Mœnum degentibus, a præfectis Bodogaviæ ad Bodam, Wisogaviæ ad Visurgim, Windogaviæ ad Unstruttam & Salogaviæ ad Salam Franconicam. Impugnavit sententiam perspicacissimus GUNDLINGIUS parte III. & IX, novissimaque opinione Leges a Clodoveo I, Gentili latas, Christiano auctas, in Wormatiæ pago, ubi Saulheimium, Bodenheimium, Weinheimium cum Wisheimio in arena, hodiedum supersunt, probare conatus est. Interest, quos laudavimus Autores ipsos evolvere. Non enim nostrum est, conjecturas fusius recensere. Vix certi quid inde elici quiverit. Convertimur ad certiora, Regumque Francorum primæ stirpis, opera toto orbe celebratorum MABILLONII, COINTII, DANIELIS, RUINARTI, DUCHESNII, ANSELMI, ECCARDI laudatissima adjuti exponemus Genealogiam. Non satis constat inter eruditos, quo tempore & quem primum sibi elegerint Regem Franci, & qui cum eis in unam gentem coaluisse dicuntur Bructeri, Chatti, Chamavi, Cherusci, Sicambri, Usipetes, Frisii, Dulgibini, Ubii, Salii, Mattiaci, atque, quos GUNDLINGIUS addidit, Chauci. Ex quo Romanis anno 255, sub Aureliano, teste VOPISCO pag. 561 cap. 7, innotuerunt Franci, varii a scriptoribus Romanis memorantur encomio Regio

inclyti, quos tamen toti populo imperitasse ut nobis persvadeamus, tantum abest, ut potius certum sit, vel uni genti præfuisse, vel quod aliis Germanis usu venire solebat, Duces militiæ regali auctoritate præditos extitisse. Regulos, principes ipsos, appellitat VOPISCUS in Probo cap. 14. Nulli enim dubitamus, quin, cum, teste ZOSIMO l. 1. c. 67. Probus Francos vicerit, Francorum reguli novem istis regibus interfuerint, de quibus PROBUS in litteris ad Senatum cap. 15: *Subacta est omnis, qua tenditur late Germania, novem reges gentium diversarum ad meos pedes, immo ad vestros supplices stratique jacuerunt.* Primos omnium suis nominibus vocatos

GENEBAUDUM & ATECH

ab interitu vindicavit MAMERTINUS Panegyrico in Maximinum Augustum dicto cap. 10. *— cum tam multi Reges, Imperatores, vestri clientes sunt, cum per te regnum receperit GENOBON; ESATECH vero munus acceperit. Quid enim ille aliud expetivit ad conspectum cum omni sua gente veniendo, nisi ut tunc demum integra auctoritate regnaret, cum te, Maximiane, placasset? Ostendit ille te identidem, ut audio, popularibus suis, & intueri diu jussit, & obsequia discere, cum tibi ipse serviret.* Francorum reges heic intelligi evincit ejusdem MAMERTINI Genethliacus Maximiani cap. 5. *— etiam illa, quæ armorum vestrorum terrore facta sunt, velut armis gesta, prætereo, FRANCOS ad petendam pacem cum REGE venientes —* & cap. 6. *— transrhenana victoria, & domitis oppressa Francis bellica piratica Diocletianum votorum compotem reddiderunt.* Maximianus Herculeus pronunciatus Augustus Kalendis Aprilis 285. jubente Diocletiano Occidentem regendum accepit, quem non ita longe post cum Africa commutavit. Non itaque non possumus assentiri RUINARTO in Annalibus Francici Regni ad annum 288. narrata contigisse referenti. Cæterum mire contorta nomina Genebaldi & Atechii, dum testantibus Criticis in aliis Codicibus nunc *Gennebond Esaret* nunc *Gennebonde Satbi* nunc quoque *Genoboni Udesadech* leguntur. Post hos occurrunt

ASCARICUS & REGAISUS Reges

apud EUMENIUM in Panegyrico Constantini laudibus recitato cap. X: *Affecisti pœna temeritatis reges ipsos Franciæ, qui per absentiam patris tui pacem violaverant, non dubitasti ultimis punire cruciatibus.* Cap. XI. *Sciunt posse Franci transire*

Rhenum,

Rhenum, quos ad necem suam libenter admittas, sed nec victoriam possunt sperare, nec veniam. Quid ipsos maneat, ex regum suorum cruciatibus metiuntur, ideoque tantum abest, ut amnis illius transitum moliantur, magis ut comperta potestate desperent ---- Hæc est tua, Constantine, de ASCARICI REGAISique supplicio quotidiana atque æterna victoria, omnibus quondam secundis præliis anteponenda.

NAZARIUS Paneg. eidem Imperatori dicto cap. 16. *Tu ferocissimis regibus, ASCARICO & Comite suo captis, tanta laude res bellicas auspicatus es, ut jam inauditæ magnitudinis obsidem teneremus.* Legere præterea operæ erit pretium, quæ tum NAZARIUS pag. 16. 17. 18. tum ANONYMUS Constantini Panegyrista cap. 21., atque ipse EUMENIUS cap. 6. hanc in rem declamant.

Constantino Chloro imperatore absente pacem violarunt, EUMENIO teste, Franci. Inauguratus est Augustus anno 305. obiitque 306, Successore æque Imperatore relicto Constantino Magno, qui severe adeo in Francorum Reges animadvertit. Æra itaque decussi jugi in annum 305. recidit, atque punitorum Regum, vel in 306 vel 307. Commemorat EUMENIUS cap. V: *terram Batäviam sub ipso quondam alumno suo*, Carausio nempe, *a diversis Francorum gentibus occupatam, omni hoste purgasse Chlorum*, quod de Saliis Francis intelligunt interpretatores, annoque 293. accidisse certum est, de quo consulendus potissimum Celeberrimus MASCOVIUS l. 6. cap. 3. 4. 12. atque ECCARDUS Wurzburgicis pag. 18. Creaverunt porro PONTANUS aliique

MALARICHUM Regem Francorum

ex verbis AMMIANI MARCELLINI l. 15. cap. 5. edit. Valesianæ pag. 79. ubi de Silvani Bonniti filii, genere Franci, atque cum imperio contra Germanos missi perjurio, ab obtrectatoribus falso delato, agens exposita delatoris in Consistorio Principis relatione addit: *Confestim inquitate rei percitus MALARICHUS GENTILIUM RECTOR collegis adhibitis strepebat immaniter, circumveniri homines dicatos imperio per factiones & dolos minime debere proclamans: petebatque ut ipse relictis obsidum loco necessitudinibus suis, Mallobaude Armaturarum Tribuno spondente, quod remeabit, velocius juberetur ire ducturus Silvanum, aggredi nihil tale conatum, quale insidiatores acerrimi concitarunt, vel contra se paria promittente, MALLOBAUDEM orabat properare permitti, hæc quæ ipse pollicitus est impleturum.* Nil obtinuerunt nec Malarichus nec Mellobaudes uterque Francus, sed missus Ursicinus, qui Sylvanum deludens vita privavit, ut præ-

eunte MARCELLINO fusius enarrat Celeberrimus MASCOVIUS l. 6. Accidere hæc *Coloniæ Agrippinæ* Silvano anno 355 Arbetiano & Lolliano Consulibus. Floruere tum *multitudo Francorum* in aula Constantii, quorum nonnullos recenset MARCELLINUS eodem capite, interque eos Malarichus rector gentilium. Non satis vero constat: an Titulus militiæ fuerit in Aula Constantiana, an vero denotaverit Regem Francorum, quos isto tempore in Comitatu Imperatorum offendere non erat insolitum. Certe, quod Mellobaudem, indubium postea Francorum Regem, sponsorem obsidem pro se relinquere promiserit, tuto concludimus, Malarichum Francicum olim extitisse Regulum vel Ducem. Plures enim uno tempore Francis præfuisse & supra probavimus, & teste AMMIANO patet libro XVI, cap. 3 *Julianus,* infit anno 356, *Agrippinam ingressus, non ante motus est exinde, quam Francorum Regibus* aliis utique a Malaricho & Mellobaude *furore mitescente perterritis, pacem firmaret Reipublicæ interim profuturam, & urbem reciperet munitissimam.* Qui AMMIANO l. 14. cap. XI. & loco supra citato audit Armaturarum Tribunus, alio loco prædicatur

MELLOBAUDES Rex Francorum.

Libro XXX. cap. 5, de Macriano Allemannorum Rege loquens addit MARCELLINUS pag. 599. edit. Vales. *Periit autem in Francia postea, quam dum internecive vastando perrumpit avidius, oppetiit MELLOBAUDIS bellicosi REGIS insidiis circumventus* anno 374. ut adnotavit VALESIUS. Narratur præterea a MARCELLINO uno apice mutato Merobaudes l. 30. c. 5. l. 31. c. 7. domesticorum Comes Valentiniani Cæsaris, contra Qvados a 375, contra Gothos in Thraciam 377. cum imperio missus, & postquam Consulatum anno 377. & 383. gesserit, in bello Gratiani cum Maximo Tyranno occisus teste LATINO PACATO Panegyri in Theodosium cap. 28, qui tamen cum Rege Mellobaude non videtur confundendus. Cæterum Regem Mellobaudem Comitem Domesticorum legimus in MARCELLINO l. 31. cap. 10, sub auspiciis Gratiani Imperatoris anno 377 Lentienses Svevos ad Argentariam, incertæ in Alsatia positionis locum, Priario eorum Rege trucidato, debellasse. Post Mellobaudem habent monumenta

PRIAMUM Francorum Regem.

PROSPER in Chronico apud LABBEUM, PITHOEUM, & CANI-

SIUM

SIUM BASNAGII pag. 513. circa annum 382. IV. anno Gratiani Imperatoris: *PRIAMUS quidam regnat in Francia, quantum altius colligere potuimus.* SIGEBERTUS GEMBLACENSIS pag. 478. *Undecunque ergo denominati sunt Franci a quantum altius colligere potuerunt historiographi, hic PRIAMUS regnabat super eos tempore prioris Valentiniani. Nam ex ipso regis nomine recolentes nobilitatem illius Priami, sub quo eversa est Troja: inde gloriabantur gentis suæ manasse primordia.* Verba Gestorum Epit: dabimus in Faramundo. Claruerunt circa ista tempora

SUNNO, MARCOMERES, & GENEBALDUS, Duces Francorum

SIGEBERTUS GEMBLACENSIS ad annum 385. *Francis post Priamum, Priami filius MARCOMIRUS, & SOMNO filius Antenoris, principantur annis 34. Quorum ducatu Franci Sycambria egressi consedere secus Rhenum in oppidis Germaniæ.* Male tamen Sigebertum annorum rationes subduxisse patebit infra.

SULPITIUS ALEXANDER apud GREGORIUM TURONENSEM l. 2, cap. 9. *Eo tempore, quo Maximus Tyrannus intra Aquilejam amissa omni spe imperii quasi amens resideret,* hoc est circa 390, *GENOBALDO, MARCOMERE & SUNNONE Ducibus Franci in Germaniam prorupere. --- Agrippinæ etiam Coloniæ metum incussere. Quod ubi Treveros perlatum est Nannius & Quintinus, militiæ magistri — collecto exercitu apud Agrippinam convenere. Sed onusti præda hostes Franci, provinciarum opima depopulati, Rhenum transiere, pluribus suorum in Romano relictis solo ad repetendam depopulationem paratis, cum quibus congressus Romanis accommodus fuit, multis Francorum apud Carbonariam ferro peremptis.* Fusius refertur, Romanos Rhenum transgressos, amissis duabus legionibus contritos, Arbogastemque *sequenti anno Cæsarem commonuisse, pœnas debitas a Francis exigendas & post dies pauculos MARCOMERE & SUNNONE FRANCORUM REGALIBUS transacto cursim conloquio, impetratisque ex more obsidibus, ad hiemandum Treviros concessisse,* tumque *eodem anno Arbogastem* genere Francum sed summæ existimationis Cæsareæ militiæ magistrum *Sunnonem & Marcomerem sub regulos Francorum odiis insectantem Agrippinam rigente maxime hieme petiisse, transgressumque Rhenum, Bricteros ripæ proximos, pagum etiam, quem Chamavi incolunt, depopulatum esse, nullo unquam occursante, nisi quod pauci ex Ampsivariis & Chattis Marcomere duce in ulterioribus collium jugis apparuerint.* Dubitat TURONENSIS num triga Francorum fuerint Reges an Duces, quod ALEXANDER eos tantum

tantum nuncuparit Regales, at omnem ſcrupulum tollit CLAUDIANUS L. 1. de laudibus Stiliconis p. 299. edit. Hartn: ſimulque fata ſub annum 400. paſſa Marcomeris atque Sunnonis edocet:

— — — — provincia miſſos
expellet citius faſces, quam Francia Reges,
quos dederis. Acie nec jam pulſare rebelles
ſed vinclis punire licet. Sub judice noſtro
regia Romanus diſquirit crimina carcer.
MARCOMERES, SUNNOque docent, quorum alter Etruſcum
pertulit exſilium, cum ſe promitteret alter
exſulis ultorem, jacuit mucrone ſuorum.
Res avidi concire novas, odioque furentes
pacis, & ingenio ſcelerumque cupidine fratres.

Confirmat OROSIUS l. 7. *Stilico congregatis gentibus Francos proterit, Rhenum tranſit, Gallias pervagatur, & ad Pirenæos uſque perlabitur.* Conferatur MASCOVIUS Celeberrimus l. 7. §. 32. ſeqq. Extirpatis Marcomere & Sunnone apparet

THEODEMER Rex Francorum.

GREGORIUS TURONENSIS l. 2. cap. 9. pag. 51. autor eſt, legi in faſtis conſularibus jam deperditis: *Theodemerem Regem Francorum filium Richimeris quondam & Aſcilam matrem ejus, gladio interfectos.* Triſtia Regis fata aſſignavit RUINARTUS anno 411. Ricimer vel Richomeres Francus celebratiſſimi nominis Dux claruit in bellis ſub Valentiniano, Valente, Gratiano & Theodoſio geſtis, cujus ſæpiſſime ab hoſtibus Romani nominis reportatos triumphos prolixe enarrat l. 31. paſſim AMMIANUS MARCELLINUS.

FREDEGARIUS Hiſtoria Miſcella cap. 9. pag. 100. *Franci electum a ſe Regem, ſicut prius fuerat, crinitum inquirentes diligenter ex genere Priami Frigi & Francionis, fabulæ, ſuper ſe creant, nomine Theudemerem filium Richemeris, qui in hoc prælio, quod ſupra memini, a Romanis interfectus eſt.*

Theo-

Theodomerem, aliquot tamen annis nullo memorato Rege, ſuſcepit in Regno Francorum

FARAMUNDUS Rex.

GESTA FRANCORUM EPITOMATA cap. 4. *Hæc, quod Franci tributa reddere nolent, audiens Imperator* Valentinianus II *in ira magna commotus, præcepit commovere exercitum hoſtilem Romanorum, aliarumque multarum gentium una cum Ariſtarcho principe militiæ; direxerunt aciem contra Francos, fuitque ibi ſtrages magna de utroque populo. Videntes Franci tantum exercitum ſuſtinere non poſſe, cæſi valde fugerunt, ceciditque ibi PRIAMUS Dux eorum* poſt annum 382, quod ex PROSPERO patet. *Illi quoque egreſſi a Sicambria venerunt, in extremis partibus Rheni fluminis in Germaniarum oppidis, illicque inhabitaverunt cum Principibus eorum MARCHOMIRO FILIO PRIAMI, & Sumnone filio Antenoris, habitaveruntque ibi annis multis. Tunc defuncto Sumnone & accepto conſilio, in unum primatum eorum unum habere Principem, petierunt conſilium Marchomiro, ut Regem unum haberent ſicut & cæteræ gentes: At ille dedit eis conſilium, & elegerunt FARAMUNDUM FILIUM IPSIUS MARCHOMIRI, & levaverunt ſuper ſe Regem crinitum. Tunc & Legem habere cœperunt, quam conſiliarii eorum priores gentiles his nominibus, Wiſogaſt, Arogaſt, Salegaſt in villabus Germaniæ, id ſunt Arbotachim, Solechagin & Widechagin tractaverunt.* Tempora confudit Compilator. Marcomeres & Sunno circa annum 400 alter in exſilium Etruſcum actus, alter trucidatus populo novum Regem circa 420 electuro conſilia dare nequiverunt. Cætera ſunt recte, conſentientibus reliquis monimentis vetuſtis.

PROSPER PITHOEANUS apud CANISIUM BASNAGII pag. 315 ad annum Honorii 26. qui cum anno Dionyſiano 421 cucurrit: *Solis hoc anno facta defectio. FARAMUNDUS regnat in Francia.* Eadem LABEI editio. Differt SCALIGERIANA: Legitur in ea ad annum 25 Honorii: *FARAMUNDUS regnat in Francia,* ad annum 26: *Solis facta defectio hoc anno.* Ecclipſin Solis cum regno Faramundi conjunctam refert falſo Chronicon ALEXANDRINUM ad annum 418. Collineat eo SIGEBERTUS ad annum 419: *Simeone & Marcomiro Francorum ducibus defunctis, Franci in commune deliberant, ut & ipſi ſicut aliæ gentes regnum habeant: & filium Marcomiri ducis PHARAMUNDUM ſibi regem ordinant, qui regnavit annis XI.* Elicitur hinc, Epocham electi Pharamundi incidere in annum 421, quamvis anni regiminis a Sigeberto notati non cohæreant. Clodionis enim ſuſceptiſaſces a BARONIO,

VALESIO, aliis, in annum 428 referuntur, præeunte PROSPERO PITHOEANO apud Canisium Basnagianum pag. 316, qui anno V Theodosii ab excessu Honorii numerato adeoque ad ipsum Dionysianum 428 habet : *Clodius regnat in Francia.* Probabile, Faramundum eodem anno mortem opetiisse, regiminis anno 7 vel octavo inchoante, quamvis aliter visum DU BOSIO Hist. Critique T. I. c. 7, utpote qui non imperite obitum Faramundi in annum 426 retrahit. Ipsum evolvisse intererit. Cæterum HENSCHENII pruritus extirpandi ex numero Regum Francorum Faramundum, ceu fictum Regem, vel unum eundemque cum Priamo declarandi nos non moratur, terties & denuo ab Eccardo pag. 23. convulsus atque refutatus. Eccardi opinionem, *Faramundi regnum a Boda fluvio per partem Halberstadensis Episcopatus, Anhaltinique Principatus, perque Mansfeldicum Comitatum Thuringiam, & Franconiam, quæ ad dextram Mœni ripam est, usque ad Spessartum sylvam extensum fuisse* interpretationi suæ pagorum in Præfatione LL. Salicarum memoratorum superstructam in medio relinquimus, quoniam meræ innititur conjecturæ.

CLENUS & CLUDIO filii Faramundi.

GENEALOGIA VETUS Msto Codici Legis Salicæ præfixa in liberis Chilperici desinens apud DUCHESNIUM T. I. pag. 793 : *Primus Rex Francorum Faramundus dictus est. Faramundus genuit CLENO & CLUDIONO.*

GENEALOGIA alia sub Pippino composita apud DUCHESNIUM pag. 793 : *Primus Rex Francorum Faramundus, secundus CLODIO filius ejus.*

GESTA FRANCORUM EPITOMATA Cap. 5. pag. 58. *Mortuo quippe Faramundo, CHLODIONEM filium ejus crinitum in regnum patris ejus elevaverunt. Tunc temporis crinitos Reges in initium sublimaverunt. Venientesque sagaciter in finibus Toraugorum in regione Germaniæ --- In illo tempore in his partibus citra Rhenum usque Ligere fluvio habitabant Romani, ultra Ligere autem Gothi dominabantur : Burgundiones quoque, qui Ariani erant, habitabant juxta Rhodanum fluvium, qui adjacet Lugdunum civitatem. CLODIO autem Rex misit exploratores de Dispargo castello Toringorum usque ad urbem Camaracum, ipse postea cum grandi exercitu Rhenum transiens, multo populo Romanorum prostrato fugavit : Carbonariam Silvam ingressus, Tornacensem urbem obtinuit. Exinde usque Camaracum urbem properavit :*

vit: ibique pauco tempore residens, Romanos, quos ibi invenit, interfecit. Et exinde usque Sumnam fluvium ocupavit. Eadem GREGORIUS TURONENSIS l. 2. cap. 9. pag. 35. repetit.

FREDEGARIUS L. I. cap. 9. pag. 95: *Substituitur filius ejus,* nempe Theodemeris, quem falso crepat Clodionis patrem, *CHLODEO in regno, utilissimus vir in gente sua, qui apud Hesbargem,* potius Dispargum, *castrum residebat, quod est in termino Toringorum, --- Chlodeo missis exploratoribus ad urbem Camaracum perlustrans omnia, ipse sequitur, Romanos proterit, civitatem capit, & inde usque Suminam fluvium occupavit.* AIMOINUS l. 1. cap. 4, 5, totidem verbis hæc referens subjungit: *Carbonariam sylvam ingressus Tornacum urbem obtinuit, quosque Romanorum obvios habuit, neci tradidit.* Notat hæc RUINARTUS ad annum 437.

PROSPER PITHOEANUS pag. 316: *V anno Theodosii II,* qui æræ Dionysianæ 428 aut juxta DUBOSIUM Hist. Critica anno *III Theodosii*, qui anno 426 Dionysiano congruit: *Clodius regnat in Francia.*

PROSPER AUGUSTANUS apud CANISIUM Basnagii pag. 309: *Quinto anno Theodosii, Felice & Tauro Consulibus --- Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupaverant, ab Aetio Comite recepta.*

IDATIUS ad annum VII Theodosii apud DUCHESNE T. I. pag. 188. *Superatis per Aetium in certamine Francis & in pace susceptis, Censorius Comes, Legatus mittitur ad Suevos.* Cucurrit annus VII Theodosii cum 430 & 431 Dionysianis. Vide RUINARTUM, DUBOSIUS pag. 389 refert ad annum V Theodosii, & 428 Dionysianum.

RUINARTUS Annalibus pag. 275 ed. Eccardinæ: *Anno 445 pugna inter Chlodionem regem Francorum, & Ætium & Majorianum duces Romanorum.*

SIDONIUS APOLLINARIS in Panegyrico Majoriani Augusti apud DUCHESNIUM T. I. pag. 224.

- - - - - post tempore parvo
pugnastis pariter, Francus qua CLOJO patentes
Atrebatum terras pervaserat. Hic coeuntes

 clau-

claudebant angusta vias, arcuque subactum
Vicum Helenam, flumenque simul sub tramite longo
Artus suppositis trabibus transmiserat agger.
Illic te posito, pugnabat Ponte sub ipso
Majorianus eques - - - - - - - Vicum Helenam interpretantur quidam Lensium urbem ad Deulam in Atrebatibus; Melius DUBOSIUS pag. 466 Hesdinum vetus. Occasione usus est Aetius referente SIDONIO nuptiarum a Franco quodam illustri celebratarum, aggredi Francos, angustiisque locorum inclusos fundere. Quibus enarratis Francos depingit, verbis heic non incongrue repetendis:

- - - - - *rutili quibus arce cerebri*
ad frontem coma tracta jacet, nudataque cervix
Setarum per damna nitet, tum lumine glauco
albet aquosa acies, ac vultibus undique rasis
pro barba tenues perarantur pectine cristæ.
Strictius assutæ vestes procera coercent
membra virûm. Patet his altato tegmine poples,
Latus & angustam suspendit baltheus alvum.
Excussisse citas vastum per inane bipennes
& plagæ præscisse locum, clypeosque rotare
ludus, & intortas præcedere saltibus hastas,
Inque hostem venisse prius. Puerilibus annis
est belli maturus amor. Si forte premantur
Seu numero; seu sorte loci, mors obruit illos
non timor, invicti perstant, animoque supersunt
jam prope post animam. Tales te teste fugavit,
& laudante viros.

PROSPER PITHOEANUS ad annum XXV Theodosii II ab excessu Honorii Imperatoris numeratum pag. 317: *Meroveus regnat in Francia.* Obiit Honorius 15 Augusti 423. Incipit ergo annus XXV Theodosii 15 Augusti

Augusti 447, & cucurrit per annum 448 ad 15 Augusti iterum. Isto intervallo naturæ debitum reddidit Clodio. Adstipulatur BIOGRAPHUS SIGEBERTI REGIS apud DUCHESNIUM T. I. pag. 592. *Attila Rex Hunnorum ab Ethio Romanorum Duce, eique auxiliantibus Francis, bello victus repatriavit. Anno post mortem sancti Martini LIIII factum hoc exordium Gallicarum urbium, Merovechi anno quinto.* Patet hinc annum ab excessu Martini XLIX. congruere anno Merovæi primo. Martinus Episcopus Turonensis sanctam vitam clausit anno V Honorii atque Arcadii a morte Theodosii I supputato, teste PROSPERO PITHOEANO pag. 314: *Martinus post egregie actam Vitam corpore exuitur.* Rebus humanis hydrope ereptus Theodosius die 17 Jan. 395, qui primus annus Arcadii & Honorii. Obitus itaque Martini incidit in annum Dionysianum 399, ipsusque annus primus erit post obitum Martini currens, & 452, quinquagesimus quartus, ex morte Martini, & Qvintus Merovechi. Jam retrogrediamur in primum annum Merovei. Is cum anno post mortem Martini quinquagesimo & æræ Dionysiano 448 congruit, quo Clodioni refert successisse Meroveum SIGEBERTUS GEMBL. pag. 499, ad annum 448: *Merovæus filius Clodii super Francos regnat annis 10.* His ita demonstratis superest, ut de DISBARGO sede regia Clodionis quædam subjungamus. CHIFFLETIUS Lumine Salico I suffragante WENDELINO Natali LL. Salicarum & HENSCHENIO de tribus Dagobertis DIESTHEIMIUM ad Demeram fluvium in Brabantia, mutata vero sententia in Anastasi Childerici DUYSBURGUM, Brabantiæ municipium, juxta Furam Lovanium inter & Bruxellas, cui operosis argumentis subscripsit DUBOS Hist. Crinque pag 395, BUCHERIUS Belgio Romano HEINBARGUM Juliacensis Ducatus oppidum, BROWERUS Antiqq. Fuldensibus DIETESBURGUM Buchoniæ; alii DUISBURGUM Cliviæ, quidam DOESBURGUM Zutphaniæ ad Isalam intelligendas volunt, ast errasse omnes situs DISBURGI in TURINGIA admonet. Curatius indagavit locum JOHANNES WILHELMUS DIETMARUS Programmate anno 1709. edito, cujus verba ex ECCARDI notis ad prologum LL. Salicarum pag. 5 repetimus. *Si, inquit, & mihi conjicere licitum est, dicerem, apud Turonensem intelligi DISPARGUM, die Dißburg, in Hennebergia situm. Est mons altissimus longe lateque conspicuus, in cacumine magnam planitiem raris arboribus continet, lateribus inhærent nomina, radices circumjacent agri culti cum vicis & pagis Helmershausen, Wolmuthausen, Erbenhausen, Aschenhausen, Oberkatza. A sylva Thuringica distat tertio lapide interjectis urbibus Schmalkaldia, Wasunga aliisque & amne Vierra. Hunc montem castello ornatum fuisse probabile reddit non tam rumor accolentium, ex quibus quidam secundum majorum tra-*

dita locum putei monstrare volunt, quam genus vocis : non enim vocatur der Dießberg/ *sed* die Dießpurg. *Consilio autem, non sermonis vitio in fœminino genere pronunciatur : nam alii montes illius regionis vocantur,* der Hirschberg/ der Windsberg/ der Wolffsberg *&c. contra montes, ubi arces olim fuerunt, vel hodie sunt, dicuntur v. g. in Oberkatza,* die Burg/ die Helmerswart/ *& non procul ab* Ostheim die Lichtenburg.

CHLODEBAUDUS & frater, filii Clodionis Regis.

GENEALOGIA VETUS ex Veteri MS. Codice Legis Salicæ sub Chilperico Rege composita apud DUCHESNIUM T. I. pag. 793 : *Primus Rex Francorum Faramundus dictus est. Faramundus genuit Cleno & Cludiono. Chludius genuit* CHLODEBAUDO. *Chlodebaudus genuit Chloderico.*

Ex PRISCI RHETORIS & Sophistæ Historia Excerptum latine redditum apud DUCHESNIUM T. I. pag. 213. *Itaque Attila,* negata, quam post mortem Theodosii a Marciano petierat, Honoria *in varias distrahebatur sententias, hærebatque incertus, quos primum aggrederetur. Tandem satius ei visum est, ad difficilius bellum sese convertere, & in Occidentem copias ducere. Illic enim sibi rem fore non solum cum Italis, sed etiam cum Gothis & Francis. Cum illis quidem, ut Honoriam cum thesauris acciperet uxorem : cum Gothis vero, ut a Geferico gratiam iniret. At Francos bello lacessendi occasionem subministrabat Regis illorum obitus, & de regno inter* LIBEROS EJUS *orta dissensio. Quorum* MAJOR NATU *Attilam,* MINOR *Aetium in auxilium vocare statuerat. Hunc nos Romæ legationem obeuntem vidimus, adhuc imberbem, flava coma, adeoque promissa, ut super humeros circumfusa esset. Eum Aetius filium a se adoptatum, multisque cum ab ipso, tum ab Imperatore ornatum muneribus, & amicum ac socium populi Romani appellatum dimisit.*

Ex SIDONIO APOLLINARI refert LEIBNITIUS de Origine Francorum, ECCARDUSque repetit, alterum filiorum ab Aetio adoptatum Senatoriæ gentis virginem Romæ duxisse in uxorem. Non contingit mihi tam esse felici, ut locum in SIDONIO plus vice simplici perlecto, invenerim. Lapsum fors LEIBNITIUM crediderim aliumque Autorem indigitaturum, SIDONIUM dixisse. Ut enim tanto Viro ejus causa diem dicam, tantum abest, ut de veritate matrimonii non dubitem licet genuinum testimonium fefellerit hominem.

Ambo

Ambo fratres avito regno trusi, a Meroveo alterius Merovei filio, cognato forsan atque tutore, ut plerique autumant. Quisquis horum Senatoriæ gentis uxorem duxerit, certant enim num Chlodebaldus, an frater Romana legatione functus, & ab Aetio adoptatus fuerit, non incongrua est opinio LEIBNITII de Origine Francorum, eum Caroli Magni majoribus dedisse ortum, eamque ob causam in laudibus poni Majoribus domi Francicis. ex Senatoria gente Romana oriundos fuisse. Econtra DUBOSIUS Hist. Critica constituti Regni Francorum T. I. cap. 16. ex loco SIDONII Paneg: Aviti versu 324, ubi inter gentes ab Attila collectas occurrit

- - - ulvosa quem vel Nicer abluit unda
prorumpit Francus

evincere conatur, utrumque Prisco memoratum fratrem Rege quodam Tribus Francorum ad Nicrum sedentis natos fuisse. At nihil addidit præterea, quod a veritatis tramite nos in transversum rapiat. Revertimur itaque ad Chlodebaldum, cujus posterorum diffusam nectit seriem GENEALOGIA in Codice LL. Salicarum a DUCHESNIO reperta. Sic enim pergit pag. 793: *Chlodebaudus genuit Chloderico, Chlodericus genuit Childevio & Hlodmaro. Childevius genuit Hildeberto, Theoderico & Hlothario. Chlotarius genuit Gunthario, Heriberto, Guntramno, Hilprico, Chranno & Sigeberto. Sigebertus genuit Hildeberto. Hildebertus genuit Theotbberto, Theoderico & Chilperico. Chilpericus genuit Hlothario, Flodrio.* Omisit autor vetustus, atque, ut apparet, Clothario II. coævus Merovæum satorem totius gentis recensitæ ejusque loco substituit Chlodebaldum Clodionis filium, qui error ex aliis fide dignissimis refutatu facillimus est. Nemo enim est qui dubitet, Childericum I. Regem, nostro Autori Chlodericum dictum, Merovæo natum fuisse. ECCARDUS Wurtzburgicus pag. 29 præeunte forsan alio suspicatur, Clodebaldum regno detrusum in Germania atque Ripuariis sibi regnum condidisse, occupatis anno 465 Treviris atque Colonia Agrippina, cum Ægidio sublato Childericus restitueretur. Rem produnt GESTA FRANCORUM, quæ sub nomine GREGORII TURONENSIS innotuerunt cap. 8, autorem silent, Nec tamen omnino absona. Reges Coloniæ infra videbimus agnatos Clodovæi. Meroveum Clodovci avum, etsi alienæ stirpis, necessitudine tamen attigisseClodionis filios certum est, itaque Eccardi cenjectione constituitur Clodebaldi filius

SIGIS-

SIGISMERES Rex

quem SIDONIUS APOLLINARIS ſponſum ſe vidiſſe memorat. Epiſtola XX Libri IV --- *quam voluptatem,* ſcribit Donitio ſuo, *putamus mente conciperes, ſi SIGISMEREM REGIUM JUVENEM, ritu atque cultu gentilico ornatum, utpote ſponſum, ſeu petitorem prætorium ſoceri expetere vidiſſes? Illum equus quidem phaleris comptus, imo equi radiantibus gemmis onuſti antecedebant, vel etiam ſubſequebantur, cum tamen hic magis ibi decorum conſpiciebatur, quod præcurſoribus ſuis ſive pediſſequis, pedes & ipſe medius inceſſit, flammeus croco, rutilus auro, lacteus ſerico. Tum cultu tanto, coma rubore cuti concolor. Regulorum quoque ſociorumque comitantum formæ & in pace terribiles. Quorum pedes primi, perone ſetoſo, talos ad uſque vinciebantur. Genua, crura, ſuræque ſine tegmine. Præter hæc veſtis alta ſtricta verſicolor, vix appropinquans poplitibus exertis. Manicæ ſolæ brachiorum principia velantes. Viri dantia ſaga limbis marginata puniceis, penduli ex humero baltei vel gladii balteis ſupercurrentibus ſtrinxerat clauſa bullatis latera rhenonibus. Eo quo comebantur ornatu muniebantur, lanceis uncatis, ſecuribusque miſſilibus dextræ refertæ, clypeis lævam partem adumbrantibus. Quorum lux in orbibus nivea, fulva in umbonibus, ita cenſum prodebat, ut ſtudium. Cuncta prorſus huſusmodi, ut in actione thalamorum non appareret minor pompa quam Veneris.* Hæc fuſe adeo excerpenda, ut delineatus cultus proderet Sigiſmerem Francum. Prætorium ſoceri ubicunque locorum extenſum fuerit, vel in caſtris vel in Regia Gothorum Regis, ingreſſurus Sigiſmeres ex Francia, Ripuaria, an ea ad Vahalim perinde, veniens Alvernos, quibus SIDONIUS Epiſcopus præſidebat, tranſire debuit. Filia ergo Regis Gothorum nupta Sigiſmeri, & quidem Evarici anno 466 Tholoſæ regnum adepti. Veroſimile, nuptias celebratas in caſtris, cum Maſſiliam aut Aurelatum expugnaret, Romanis dejectis Rex Evaricus. Hæc nullo ſcrupulo laborant. Sigiſmerem Ripuariis dominatum evincere ſtudet aliis Sidonii teſtimoniis Eccardus. Epiſtola tertia Libri VIII Leonem amicum monet, ut *ſeponat pauxillulum inclamatiſſimas declamationes, quas oris regii vice conficis, quibus ipſe rex inclitus modo corda terrificat gentium tranſmarinarum, modo de ſuperiore cum BARBARIS AD VACALIM trementibus fœdus victor innodat, modo per promotæ limitem ſortis ut populos ſub armis ſic frenat arma ſub legibus.* Evaricum regem intelligendum tum docent ejus nutu conditæ leges, tum Sidonii epiſtola VI, libri VII. *Evarix rex Gothorum quod limitem regni ſuo rupto diſſolutoque fidem antiquo, vel tutatur armorum jure, vel promovet nec nobis peccatoribus hic accuſare, nec vobis ſanctis,* Papæ ſive Epiſcopo Baſilio ſcribit, *hic diſcutere permiſſum eſt.* Adducit præterea ECCARDUS epiſtolam IX libri

libri VIII, cui in honorem Theodorici Gothorum Regis insertum carmen;

- - Sic tonso occipiti senex Sicamber
postquam victus ex helicus retrorsum
cervicem ad veterem novos capillos. - - - -
Hic Burgundio septipes frequenter
Flexo poplite supplicat quietem.

At nihil inde præsidii pro tuendo ortu Ripuarico Sigismeris. Quæ epistola nona referuntur, huc non quadrant, nec multo minus epistolæ III verba in tutamen alleganda. Qui enim Francus ad Vahalim accolebat, suberat imperio Merovei atque Chilperici, nec cum Ripuariis circa Agrippinam atque Treviros tendentibus miscendi. Uno itaque ictu integra Chlodebaldi posteritas subvertitur. Sigismere enim excluso ceu principe Francorum ad Vahalim, Sigeberto Claudo indubio Ripuariorum Regi deficiunt pater & avus. Quoquo demum patre satus Sigismeres, Regis Francorum filius extitit, inque pignus renovati fœderis Gothos inter & Francos Evarici filiam post annum nactus uxorem. In causa fuit forsan contracti conjugii cognatio altior heic explicanda: Rogaverat EVODIUS amicus SIDONIUM versus pangendos, quos *conchæ inscriptos* Tholosanæ Reginæ offerre suo nomine posset. Respondet SIDONIUS epistola VIII libri IV; *Cum tabellarius mihi literas tuas reddidit, quæ te Tholosam mox profecturum rege mandante certis amicis confitebatur --- hoc poposcisti ut epigramma transmitterem --- quod possit aptari conchæ capaci --- quam --- isto cultu expolitam reginæ Ragnachildæ dispenis offerre. ---* In carmine adjecto alloquitur Reginam

Sic tibi, cui Rex est genitor, socer atque maritus
Natus rex quoque sit cum patre - - -

Trium Theodorici Wisigothorum Regis filiorum Evaricus tantum prole auctus noscitur successura, non sane propterea indiget probatione ulteriori Ragnachildis asserta Evarico Conjux. Regio creta sangvine sed quo? Ostrogothico, Burgundico, Vandalico, an Francico? Nihil certi. Ex nomine, quod Francicam olet lingvam, probabili conjectura conclu-

 dimus,

dimus, Francorum Regis filiam. Num vero Meroveum an Clodionem patrem dicamus, hæremus dubii. Qvodsi hariolari placeret, Sigismerem crederemus filium Merovæi, Ragnachildam sororem Merovei, ambosque adeo conjuges consobrinos. Sed asserere absque testibus erubescimus. Progredimur ad

SIGEBERTUM CLAUDUM ejusque filium CHLODERICUM Reges Ripuariorum.

GREGORIUS TURONENSIS L.2.cap.37: *Chlodoveus rex cum Alarico rege Gothorum in campo Vocladense -- convenit, --- &* *victoriam --- obtinuit*, anno 507. *Habebat autem in adjutorium suum, FILIUM SYGIBERTI CLAUDI, nomine CHLODERICUM. Hic Sygibertus, pugnans contra Alamannos apud Tulbiacense oppidum* anno 496 *percussus in geniculo claudicabat*. Cap. 40. *Cum autem Chlodoveus Rex apud Parisios moraretur, misit clam ad filium Sygiberti, dicens: Ecce pater tuus senuit, & pede debili claudicat. Si ille, inquit, moreretur, recte tibi cum amicitia nostra regnum illius redderetur. Qvo ille cupiditate seductus, patrem molitur occidere. Cumque ille,* Sigebertus, *egressus de Colonia civitate, transacto Rheno per Bucconiam silvam ambulare disponeret, meridie in tentorio suo obdormiens, immissis super eum filius percussoribus, eum ibidem interfecit --- Misit igitur nuncios ad Chlodoveum regem de patris obitu nunciantes ---* Et Chlodoveus misit suos legatos --- *quibus venientibus iste patris thesauros pandit. Qvi dum diversa respicerent, ait: In hanc arcellulam solitus erat pater meus numismata auri congerere. Immitte, inquiunt, illi manum tuam --- quod cum fecisset & esse valde declinus, unus elevata manu bipennem cerebro ejus inlisit: & sic quæ in patrem egerat, indignus incurrit. Qvod audiens Chlodoveus --- adveniens convocat omnem populum illum dicens: Audite quod contigerit dum ego, inquit, per Scaldem fluvium navigarem, Chlodericus filius parentis* consanguinei *mei, patrem suum insequebatur ---* &c. --- *At illi ista audientes, plaudentes tam palmis quam vocibus, eum clypeo evectum super se Regem constituunt. Regnumque Sygiberti acceptum cum thesauris ipsos quoque suæ ditioni adscivit.* Tragœdia hæc acta altero a Vocladensi pugna anno 509, Ripuariaque in provinciæ Franciæ formam redacta. De proavis Sigeberti Claudi silet Gregorius. Clodoveus ipse generis proximitate glori[illegible] Cum vel ratiocinio probare daretur, Chlodebaldum anno 464 occup[illegible]e Ripuarios facili negotio panderetur genitor. Chlodebaldus Chlodionis natus, cum animum ad conjugem applicuit, demum post fata patris uxorem duxisse videtur circa 448. Ponamus vel eodem anno Sigebertum natum, anno 509 senex

ex

.19.

nonymus, a quo Meroveus sibi timuit Cameraci. *Pag. 21.*

ARIUS Rex Cameraci a) victus & securi per-). *Pag. 21.*

RICHARDUS eandem cum fratre sortem passus, *Pag. 21.*

REGNOMERES Rex Cenomanis occisus 510. *Pag. 21.*

tus)ta. iata

AUDOFLEDA Uxor THEODORICI Veronensis, Regis Italiæ 493 † 533. *Pag. 30.*

ALBOFLEDIS baptizata 25 Dec. 496. Obiit 497. *Pag. 30.*

LANTHILDIS ex Arriana hæresi resipiscit & baptizatur 496. *Pag. 30.*

2
CHROTILDIS nata 496 vel 497 nupta AMALARICO Gothorum in Hispania Regi 511 a fratribus repetita Obiit 531. *Pag. 45.*

2
CHILDEBERTUS I Rex Parisiorum 511 Obiit 22 Dec. 558. *Pag. 46.* Uxor ULTROGOTHA. *Pag. 48.*

2
CLOTHARIUS I Rex Svessionum & denique omnium Francorum.

TAB. III.

ef- lita- um. ovi- iit 7 San-

CROTHBERGA & CHROTESINDIS a Clothario in exilium pulsæ, a Chariberto revocatæ. Moniales Abbatiæ S. Germani in pratis a patre fundatæ. *Pag. 48.*



z
10.

ex conditione mortalium Chlodebaldum parentem utique agnovisse potuit. Sed documentis deficientibus nihil definiendum.

ASSERTIONES TABULÆ II.

MEROVEUS Rex Francorum.

GENEALOGIA ex vetusto Codice Conciliorum & Capitulorum T. I. DUCHESNII pag. 793: *Primus Rex Francorum Faramundus. Secundus Chlodio filius ejus. Tertius MEREVIUS FILIUS MEREVEI.*

GENEALOGIA Regum CHIFFLETIO in Anastasi Childerici laudata pag. 13: *Meroveus, qui non erat Clodii filius, sed ipsi sangvine junctus, fecit se creare Regem, Clodii filios, qui ætate minores, excludendo.*

GENEALOGIA Regum Francorum apud DUCHESNIUM T. I. pag. 794: *Ex Genealogia Priami fuit Meroveus pater Childerici.*

CHRONICA REGUM FRANCORUM Sec: IX scripta apud DUCHESNIUM T. I. pag. 797: *Chlodio regnavit annos XX de cujus stirpe ortus est Merovechus, a quo Francorum Reges Merovingi appellati.*

GREGORIUS TURONENSIS l. 2. cap. 9: *De hujus* Clodionis *stirpe quidam Meroveum regem fuisse adferunt, cujus fuit filius Childericus.*

GESTA FRANCORUM EPITOMATA ex Codice Ecclesiæ Cameracensis apud DUCHESNIUM T. I. pag. 694: *Chlodione defuncto Merovechus de genere ejus Regnum ejus accepit.*

GESTA FRANCORUM EX FREDEGARII HISTORIA MISCELLA cap. 9: *Fertur super litore maris æstatis tempore Chlodeone cum uxore residente meridie, cum uxor ad mare levatum vaderet, Merovebo (* Meer-Vieh *) bestiam Neptuni, Minotauri similem, eam adpetisse. Cumque in continuo aut a bestia aut a*

 viro

viro fuisset concepta, peperit filium Meroveum nomine, per quem Reges Francorum postea vocantur Merovingi.

Patet ex adductis testimoniis, Meroveum Regem propinqua cognatione attigisse Chlodionem. LEIBNITIUS de origine Francorum §. 35. ex Clodionis sorore natum existimat. ECCARDUS in notis ad LEIBNITII Origines autoritate FREDEGARII confisus privignum vult Clodionis, uterinum fratrem Chlodebaldi. Si opiniones conjecturis cumulare placet, eodem jure a Sunnone Faramundi patruo descendisse Meroveum, Merovei Regis patrem, dicimus. Sunno vivere desiit vel in exilium actus anno circiter 400. Meroveus regnum arripuit 448. Cum vel triginta annos natum Meroveum credas, nihil obstat, quominus Sunnonem procreasse Meroveum seniorem opinemur. Sunnonem certe liberos reliquisse, vel ex eo colligas, quod CHRONICA REGUM FRANCORUM Sec. IX scripta apud DUCHESNIUM T. I. pag. 797 Faramundum Sunnone natum afferat. Et Chlodoveum Merovei senioris pronepotem proavis regibus prosatum gloriatur AVITUS VIENNENSIS in epistola ad Chlodoveum apud DUCHESNIUM T. I. pag. 835: --- *Respondetis proavis, quod regnatis in seculo.* Hæc necessario ad vetustiores Meroveo Reges referenda Sunnonem & Priamum. Quodsi vel unico testimonio nostra sententia inniteretur, constaret Meroveum ex Genealogia Priami oriundum de stirpe Chlodionis fuisse. Sic enim consuenda Genealogia Merovei

Priamus Rex Francorum

Marcomeres Rex Francorum	*Sunno Rex Francorum*
Pharamundus Rex	*Meroveus senior*
Clodio Rex	*Meroveus Rex post Clodionem unde Meroveadæ.*
Chlodebaldus cum fratre exclusus	

PROSPER PITHOEANUS pag. 317. ad annum XXV Theodosii II ab excessu Honorii Imperatoris numeratum, qui ab 15 Aug. anni Dionysiani 447 currebat per annum 448: *Merovæus regnat in Francia.*

SIGE-

SIGEBERTUS GEMBLACENSIS ad annum 448: *Merovæus filius Clodii super Francos regnat annis decem.* Et ad annum 458: *Meroveo Francorum rege mortuo Hildericus filius ejus regnavit annis 26.* Antequam ad Posteros Merovæi procedamus, quædam monuisse juvat

De fratre Merovæi.

Anonymum fratrem reperisse sibi visus est ECCARDUS Wurtzburg. in verbis GREGORII TURONENSIS l. 2. cap. 7. *Aetius cum Francis Gothisque conjunctus, adversus Attilam confligit. At ille ad internecionem vastari suum cernens exercitum, fuga dilabitur. Theudo vero Gothorum rex huic certamini succubuit --- Veruntamen Aetius Patricius cum Thorismodo victoriam obtinuit, hostesque delevit. Expletoque bello ait Aetius Thorismodo: Festina velociter redire in patriam, ne insistente germano, patris regno priveris. Hæc ille audiens cum velocitate discessit, quasi anticipaturus fratrem, & prior patris cathedram adepturus. SIMILI ET FRANCORUM REGEM DOLO fugavit.* Attila fusus anno 451. Regnabat tum temporis Meroveus, quem *simili dolo ac Thorismundum* remisit domum suam Aetius. Cum strictius dolum accipimus, Meroveo utique Aetius suspicionem injecit, ne frater absenti extorqueret regnum. Neque errasse opinamur, qui istam tuentur interpretationem. Quisquis enim fuerit frater, aliquid movisse videtur, quo Meroveum retraxerit ab exercitu Aetii. Extra controversiam est, Clodionem urbem & tractum Cameracensem sibi subjecisse, ipsamque Meroveus absque dubio possedit successor Clodionis. At offendimus regnante Chlodoveo regem peculiarem Cameraci. Documenti satis, Cameracum dominio Regis vel Childerici vel quod opinabilius, Merovei subtractum. Conjicimus inde summa specie veri fratrem Meroveo vel vi vel pacto extorsisse Cameracum, seque ejus dixisse regem. Vindicato fratre, iisdem argumentis vindicantur Meroveo ex fratre nepotes

RAGNICARIUS Rex Cameraci & Fratres.

GREGORIUS TURONENSIS l. 2. cap. 27. *Anno autem quinto regni ejus,* Chlodovæi, *Siagrius Romanorum Rex, Egidii filius, ad civitatem Suessionis --- sedem habebat. Super quem Chlodoveus cum RAGNACHARIO PARENTE SUO, qui & ipse Regnum tenebat veniens campum ut pugnaret, præparari sibi deposcit.* Annus

 quintus

quintus incidit in annum Christi 486. Necessitudinem inter Chlodoveum & parentem sive consangvineum Ragnacharium sic explicatam habe

Merovens

Merovens Rex | *Frater Rex Cameraci*

Childericus Rex | *Ragnacharius Rex Cameraci a Chlodoveo victus 510.* | *Richarius* | *Regnomeres* | *Scariberda Uxor Arnulphi sancti.*

Chlodovens Rex

GREGORIUS TURONENSIS l. 2. cap. 42. *Erat autem tunc RAGNACHARIUS Rex apud Camaracum, tam effrenis in luxuria, ut vix vel propinquis quidem parentibus indulgeret. Is habebat Faronem Consiliarium simili spurcitia lutulentum --- Veniens autem Chlodovens bellum contra eum instituit. At ille,* Ragnacharius, *devictum cernens exercitum suum, fuga labi parat. Sed ab exercitu comprehensus, ac ligatis post tergum manibus in conspectu Chlodovei una cum RICHARIO FRATRE SUO perducitur. Cui ille,* Chlodoveus, *Cur, inquit, humiliasti genus nostrum, ut te vinciri permitteres. Melius enim tibi fuerat mori. Et elevatam securem capiti ejus defixit. Conversusque ad fratrem ejus ait: Si tu auxilium fratri tribuisses, alligatus utique non fuisset. Similiter & hunc securi percussum interfecit --- Fuerunt autem supradicti Reges propinqui hujus,* Chlodovei. *Quorum frater REGNOMERIS nomine apud Cinomannis civitatem ex jussu Chlodovei interfectus est. Quibus mortuis, omne Regnum eorum & thesauros Chlodovens accepit --- His transactis apud Parisios obiit,* anno Christi 511. Merito itaque immane crudelitatis documentum anno 510 assignavit RUINARTUS. Ceterum repetunt eadem RORICO pag. 816, 817. GESTA FRANCORUM EPITOMATA Capite 18. & FREDEGARIUS EXCERPTIS cap. 27.

VITA B. REMIGII APUD DUCHESNIUM T. I. pag. 528: *Multi denique de Francorum exercitu necdum ad fidem conversi, cum Regis parente Raganario ultra Summam fluvium aliquamdiu degerunt, donec Christi gratia cooperante gloriose potitus victoriis eundem Raganarium flagitiis turpitudinum inservientem, vinctum a Francis sibi traditum Rex Chludowicus occidit.* Tribuenda forsan fratribus his soror Scariberga neptis Chlodovæi Regis, de qua VITA S. ARNULPHI EPISCOPI & Confessoris apud DUCHESNIUM T. I. pag. 533. habet: *--- Chlodovens Rex --- Christianitatis legem suscepit, quem --- sanctus Remigius baptizavit, & baptizato sanctum Arnulphum prece qua potuit commendavit, at ut plu-*

rimum

rimum coleret suppliciter observavit. Qui in tanta apud eum habitus est honoris reverentia, ut inter suos Domesticos præcipuam meruisset familiaritatis gratiam. Hinc actum est, ut neptem suam nomine SCARIBERDAM traderet loco sponsæ & conjugis, cum Comitatu Remensi. --- De ætate vitæ non satis mihi constat nec enodatu facile, num Scariberga Chlodovei an Remigii fuerit neptis. Quod tamen videatur Chlodoveum attigisse propinquitate, suspicio orta est, uno cum fratribus dictis usam esse patre, quamvis enim asserere nequeo, hic tamen, ne quid omittatur, ejus meminisse intererat.

CHILDERICUS I. filius Merovei. Rex Francorum.

GESTA FRANCORUM EPITOMATA cap. 5. *Ipse Meroveus genuit filium nomine CHILDERICUM, patrem Chlodovei sublimissimi Regis.*

EXCERPTA FREDEGARII cap. 9. *CHILDERICUS vero filius Merovei, cum successisset patri, nimia luxuria dissolutus filias Francorum stupro tradidit. Illi vero ob hoc indignantes eum de regno ejiciunt: Wiomadus Francus fidelissimus cæteris Childerico, quod eum, cum a Chunis cum matre captivus duceretur,* anno videlicet *451, fugaciter liberavit.*

GREGORIUS TURONENSIS L. 2. cap. 12. *Childericus vero cum esset nimium luxuriæ dissolutus, & regnaret super Francorum gentem, cupit filias eorum stuprose detrahere. Illique ob hoc indignantes, de regno eum ejiciunt. Comperto autem, quod eum etiam interficere vellent, Thoringiam petiit, relinquens ibi hominem sibi charum, qui virorum furentium animos verbis lenibus mollire possit: dans ei in signum, quando redire possit in patriam, id est, divisere simul unum aureum, & unam quidem partem secum detulit Childericus, aliam vero amicus ejus retinuit --- Abiens ergo in Thoringiam, apud regem Bisinum uxoremque ejus Basinam latuit. Denique Franci, hoc ejecto, Egidium sibi, quem superius Magistrum militum a Republica* Romana *missum diximus, unanimiter regem asciscunt. Qui cum octavo anno super eos regnaret amicus ille fidelis, pacatis occulte Francis, nuncios ad Childericum cum parte illa divisi solidi, quam retinuerat, mittit. Ille vero certa cognoscens indicia, quod a Francis desideraretur, ipsis etiam rogantibus, a Thoringia regressus in regnum suum est restitutus* FREDEGARIUS habet, Constantinopoli accersitum fuisse, quod fabulas olet.

SIGE-

SIGEBERTUS GEMBLACENSIS ad annum 458: *Meroveo Francorum Rege mortuo, HILDERICUS filius ejus regnat annis 26.*

Ut conſtituatur Epocha dejecti Childerici, audiendus IDATIUS apud LABBEUM Bibl. MS. T. I. ad annum Abrahami 2481. *Menſe Majo Ægidii legati per Oceanum ad Vandalos tranſeunt, qui eodem curſu Septembri menſe revertuntur ad ſuos. Decimo tertio Kalendis Auguſti die, ſecunda feria in ſpeciem Lunæ quintæ Sol de lumine ſuo ab hora tertia in horam ſextam cernitur minoratus.* Et paulo poſt: *Ægidius moritur, alii dicunt inſidiis, alii veneno deceptus.* Juxta EUSEBII continuatam ſupputationem orditur annus 2481 Abrahamicus ipſis Kalendis Octobribus anni Dionyſiani 464. Sequenti itaque anno 465 diem ſupremum obiit Ægidius, Childerico jam regnante. Childericus ſucceſſit patri ſub initium anni 458. Exul per integros ſeptem & inchoatum octavum annum privatus regno. Redditus tamen ante obitum Ægidii. Hinc reſtitutus anno 465, & dejectus anno 457 in principio regiminis. Alium eumque forſan juſtiorem ingrediuntur RUINARTUS aliique viam, dum octavum Ægidii annum GREGORIO memoratum non a ſuſcepto Regno Francico ſed a delata dignitate Magiſtri militiæ repetunt. Miſſum Ægidium cum Imperio in Galliam anno 457 auſpicatumque fuiſſe munus Magiſtri die 1. Aprilis, demonſtravit RUINARTUS in libro, quem de Magiſtris militiæ Galliæ compoſuit. Octavus regnantis Ægidii annus Kalendis Aprilis 464 inchoatus. Hinc anno 464 reductus in regnum Childericus. At obſtat aliquantulum GREGORIUS, qui curate dixit: Ægidio *octavo anno ſuper eos* nempe Francos regnante revocatum Childericum. Intereſt ad Chronologiam Clodovei hæc monuiſſe. Quamcunque vero ſententiam amplectamur, Childericum in primordiis anni 465 reſtitutum in ſolio Francico conſpicimus. Cæterum omnem movit lapidem R. Pater DANIEL, qui integram de Childerici dejectione atque Ægidii regno Francico Turonenſis narrationem ad fabulas relegaret, at ſagaciſſime refutatis DANIELIS argumentis fidem Turonenſis liberavit DUBOSIUS in Hiſtoria Critica conditæ Monarchiæ Franciciæ T. II. Libr. I. cap. VI.

GREGORIUS TURONENSIS L. 2. cap. 18. *Childericus Aurelianis pugnas egit,* ex computo Ruinarti anno 477 --- *Veniente vero Odovacrio Andegavos, Childericus rex ſequenti die advenit, interemptoque Paulo Comite,* Magiſtro Romanæ militiæ, *civitatem obtinuit.* Cap. 19. *Inſulæ* Saxonum in Ligeri fluvio *cum multo populo interempto, a Francis captæ atque ſubverſæ ſunt. Eo anno menſe*

nono

novo terra tremuit. Odovacrius cum Childerico fœdus iniit, Alemannosque, qui partem Italiæ, VALESIUS legit Galliæ, *pervaserant, subjugavit.* THEOPHANES anno æræ Alexandrinæ 470, qui a Kalendis Sept. 477 currit, die 25 Sept. horrendum memorat terræ motum Constantinopolin concussisse Indictione I, quæ & ipsa in annum 477 incidit, ut adeo calculus RUINARTI recto fuerit talo.

SIGEBERTUS Childerico tribuit regiminis annos 26. GESTA vero EPITOMATA TURONENSIS, IVO CANOTENSIS, AIMOINUS, RORICO, ceterique antiquiores uno ore tantum 24. Probatum dedimus, primum Childerici annum Dionysiano 458 congruere, quibus si addas demto uno 23, resultat annus 481 vigesimus quartus Childerici, quo fata subiit. Confirmat supputationem GREGORIUS TURONENSIS. In fine libri III Clodoveum triginta annos imperitasse refert. Ipsum obiisse anno Christi 511 declinante infra demonstrabimus. Subtractis triginta completis remanet annus 481 primus Chlodovæi, ultimus Childerici. Sepultus jacuit in Æde S. Briccii Tornaci regia sua Childericus, ubi 1653 monumentum ejus forte fortuna cum nummis, gladio, ascia, quam Franciscam vocant, inventum, quod cum cimeliis gravissime descripsit CHIFFLETIUS in Anastasi Childerici.

BASINA
Thuringica, Conjux Childerici.

FREDEGARII EXCERPTA cap. 12. *BASINA, quæ Bisinum regem in Thoringia jugalem habebat, cum audisset Childericum a Francis in regno sublimatum, cursu veloci relinquens Bisinum ad Childericum transiit — quam Childericus gaudens & diligens ejusdem pulchritudinem in conjugio copulavit — Concepit Basina & peperit filium nomine Chlodoveum.* Eadem Gesta Francorum cap. 7, ubi hæc præterea leguntur: *Nam, dum fuit in Toringia, cum Basina regina uxore Bisini Regis ipse Childericus Rex commixtus fuit.*

GREGORIUS TURONENSIS l. 2. cap. 12. — *BASINA illa quam supra memoravimus, relicto viro suo ad Childericum venit — At ille gaudens, eam sibi in conjugio copulavit: quæ concipiens peperit filium, vocavitque nomen ejus Chlodoveum.* Desiit vivere Chlodoveus anno 511 natus *quadraginta quinque annos* teste TURONENSI cap. 43. Editus itaque in lucem anno 466, ductaque Basina 465.

CHLODOVÆUS Rex Francorum filius Childerici.

GREGORIUS TURONENSIS l. 2. cap. 27: *Mortuo Childerico, regnavit CHLODOVEUS, FILIUS EJUS, pro eo. Anno autem qvinto regni ejus (486) Syagrius Romanorum Rex Egidii filius* Svessionibus exuitur. --- *Decimo regni sui anno (491) Thoringis bellum intulit, eosdemque suis ditionibus subjugavit.* Cap. 30. *Regina vero non cessabat prædicare, ut Deum verum cognosceret, --- sed nullo modo ad hæc credenda poterat commoveri, donec tandem aliquando bellum contra Alamannos commoveretur: in quo --- exercitus Chlodovei valde ad internecionem ruere cœpit. Qvod ille videns, elevatis ad cœlum oculis compunctus corde --- ait: Jesu Christe* &c. *Cumque hæc diceret, Alemanni terga vertentes in fugam labi cœperunt. Cumque Regem suum cernerent interemptum Chlodovei se ditionibus subdunt.* Cap. 31. *Tunc regina arcersi clam sanctum Remigium, Remensis urbis Episcopum jubet --- Igitur Rex omnipotentem Deum in Trinitate confessus baptizatus est.* Addunt GESTA FRANCORUM EPITOMATA cap. 16. *Acta sunt hæc anno XV. Chlodoveo regnante* adeoque anno 496. Diem initiationis volunt diem paschatos HINCMARUS in Vita Remigii apud DUCHESNIUM T. I. pag. 526. & alii. at omnes erroris arguit AVITUS VIENNENSIS epistola ad Chlodoveum apud DUCHESNIUM T. I. pag. 855. Cujus, Regis nempe, *splendorem congrue Redemptoris nostri nativitas inchoavit: ut consequenter eo die ad salutem regenerari ex unda VOS pateat, quo natum redemptioni suæ cœli Dominum mundus accepit Igitur, qui celeber est natalis Domini, sit & vestri, quo vos scilicet Christo, quo Christus ortus est mundo.* Egregie confirmat Epocham agnitæ fidei Chlodovæus ipse Rex, in venerando isto canæ vetustatis documento, quod Cœnobio Reomaensi (*du Mourtier - Saint - Jean dans la Cité de Langres*) indulgenter largitus est Rex. Mentionem ejus injecerat primum ROUVERIUS (*Rouyer*) in historia Abbatiæ Reomaensis, quæ 1637 prodiit. Ex authentico porro descripsit PERARDUS, Decanus Cameræ Rationum Divionensium, suoque inseruit libro, quem anno 1664 foras dedit sub titulo: *Recueil de plusieurs Pieces curieuses pour l'histoire de Bourgogne par Monsieur Perard Doyen de la Chambre des Comptes de Dijon.* Ex quo repetitum DUBOSIUS Abbas in Historia Critica Monarchiæ Franciçæ T. II. L. IV. cap. 3. pag. 549. recitavit. Quæ ipse dedit, heic apponere juvat. *Chlodoveus Rex Francorum vir illustris, servus Dei - - - - Quapropter notum sit omnibus Episcopis, Abbatibus & illustribus viris, magnificis Ducibus, Comitibus, Domesticis,*

Grafio-

Grafionibus, Centenariis &c. *Qvia Dominus Joannes,* cujus vitam a JONA descriptam ROVERIUS Jesuita publici juris fecit, suisque Actis inseruerunt ANTWERPIENSES, *clarus virtutibus locellum suum in Pago Tornatrinse sub regula beati Macarii ad habitationem Monachorum constructum, qui Reomaus vocatur, PRIMO NOSTRÆ SUSCEPTÆ CHRISTIANITATIS & subjugationis Gallorum,* (Armoricorum, quos PROCOPIUS falso Arborichos vocat, & militum Romanorum, de quo doctissime æque atque prolixe edisserentem evolvas DUBOSIUM l. c.) *ANNO nostræ Celsitudini tradidit & commendavit, ut sub nostra emunitate & Mundiburdio nostrorumque successorum Regum semper maneat. Propterea & nos & ipsum Patronum nostrum peculiariter - - - - Ideoque has litteras manu nostra firmatas ipsi nostro Patrono Domino Joanni dedimus, id omnino vos rogamus atque decernimus, ut nec nos nostrique successores Reges neque vos vestrique minores - - - - Sed sub nostra Regumque nostrorum successorum tuitione & Mundiburdio prædictum Monasterium propter meritum tanti Patroni permaneat & quiescat - - - Et ut hoc præceptum firmius habeatur manus nostræ signaculo subter illud decrevimus roborare --- Datum sub die quarta Kalendas Januarii Indictione quinta. Actum Remis civitate in Dei nomine feliciter. Ego Anachalus obtuli, anno magni Chlodovei decimo sexto.* Notæ Chronicæ quadrant omnes in annum Christi 496. Indictio V exorsa Kal. Sept. 496 per annum 497 ad dictas Kalendas decurrebat, IV ergo Kalendas Januarii sive 29 Dec. anni 496 intelligendus. Decimus sextus Chlodovei annus inde ab anno 481 numeratus labitur cum anno 496. Data hinc Charta 29 Dec. quarto die post sacram ablutionem primo anno Christianitatis, decimo sexto regiminis, & anno Christi 496. De ampulla Rhemensi a columba, dum urgeretur Chlodovæus Rhemis, allata secundum AIMONIUM L. I. cap. 16. & HINCMARUM Vita Remigii pag. 527. legi meretur CHIFFLETIUS singulari libro. Nunc ad reliqua Chlodovei gesta. Turonensis capite 32. bellum enarrat Burgundicum (498. 499.) Cap. 35. *Alaricus Rex Gothorum --- & Chlodoveus --- conjuncti in insula Ligeris, quæ erat juxta vicum Ambriciensem urbis Turonicæ --- promissa sibi amicitia pacifici discesserunt* (503) Cap. 37. *Chlodoveus --- commodo exercitu Pictavos dirigit ibi tunc Alaricus commorabatur --- Chlodoveus rex cum Alarico rege Gothorum in campo Vocladiense decimo ab urbe Pictava milliario convenit, & --- victoriam Domino adjuvante obtinuit --- Rex cum, fugatis Gothis, Alaricum Regem interfecisset, --- Theodoricum filium per Albigensem ac Rutenam civitatem ad Arver nos dirigit. Qvi abiens, urbes illas a finibus Gothorum usque Burgundionum terminum patris sui ditionibus subjugavit. Regnavit autem Alaricus viginti duos annos.* Exceperat patrem Euricum Alaricus, quod solide ostendit PAGIUS, anno 485 a quo annus vigesimus secundus delapsus cadit in annum 507, quo de-

victi atque ultra Pyrenæos ejecti Gothi. *Chlodoveus vero apud Burdegalensem urbem hyemem agens, cunctos thesauros Alarici a Tholosa auferens Engolismam venit --- urbem suo dominio subjugavit --- Turonos regressus est --- ubi ab Anastasio imperatore codicillos de Consulatu accepit, & in basilica beati Martini tunica blatea indutus est chlamyde, imponens vertici DIADEMA --- & ab ea die tanquam CONSUL ET AUGUSTUS est vocitatus. Egressus autem a Turonis Parisios venit, ibique CATHEDRAM REGNI constituit* anno 508. postquam hyemem Burdigalæ peregerat. Cap. 40: Regnum Coloniæ subvertit sequenti anno 509, de quo vide supra in Sygeberto Claudo. Cap. 41: *Post hæc ad Chararicum Regem dirigit, quem circumventum dolis cepit cum filio* (509) Cap. 42: *Et denique Cameracenses Regulos sibi subjugat,* quod supra in Ragnachario expoluimus. Cap. 43: *His ita transactis apud Parisios obiit: sepultusque in Basilica sanctorum Apostolorum, quam cum Chrotilde regina ipse construxerat. Migravit autem post Vocladiense bellum* (anno 507 pugnatum) *anno quinto* inchoato, non completo, ideoque anno 511. *Fuerunt omnes dies regni ejus triginta anni,* qui a morte Childerici 481 ad 511 defluxerunt. *Ætas tota quadraginta quinque anni,* natus enim 466. *A transitu ergo sancti Martini, usque ad transitum Chlodovei regis --- supputantur anni CXII.* Quæ notæ Chronicæ egregie coincidunt cum reliquis a Turonensi adductis. In Clodione enim evicimus, Sanctum Martinum rebus humanis ereptum fuisse anno 399, quibus si addas 112 post excessum Martini, resurgit annus 511 Clodoveo fatalis. Epitaphium habes apud Aimoinum l. 1. cap. 25. Diem PAGIUS ex veteribus duobus Calendariis reperit: in his enim ad annum 514 §. VII. legi ait: *V. Kal. Decembris Depositio magni Regni Chlodovæi.* At non sine gravi ratione addubitat DUBOSIUS T. III. pag. 60, diem istum fuisse obitualem. Celebratur quidem anniversarius in Basilica S. Petri sive Apostolorum Parisiis, quam nunc sanctæ Genovefæ vocant, die 27 Novembris ceremoniis & oratiunculis consvetis, quarum primam ex DUBOSIO mutuamur: *Deus indulgentiarum Domine, da famulo Regi Chlodoveo, famulæ tuæ Reginæ Blanchæ & famulis tuis, quorum depositionis diem anniversarium commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem & luminis claritatem.* At ex hac prece evictu facile, diem modo depositorum in ædem S. Genovefæ corporum Chlodovei, Blanchæ sive Albofledis sororis Chlodovei, ut recte interpretatur DUBOSIUS, & filiorum Clodomeris, quos in basilica S. Petri eadem, quam Genovefæ nominant, aviam sepelivisse GREGORIUS tradit, designari, postquam excitata a Chlodoveo vivente, perfecta post obitum ejus, non vero diem mortis. Sequeretur enim, quodsi PAGII opinionem amplectimur, Chlodoveum, Alboflędam, filios Chlodomeris uno eodemque die fatis esse functos, quod nunquam

nunquam probari licet. Notus itaque dies depositi corporis non vero mortis Chlodovei.

CHROTILDIS
Burgunda, Chlodovei Conjux.

GREGORIUS TURONENSIS l. 2. cap. 27. *Chlodoveus — decimo regni sui anno Thoringis bellum intulit* — Cap. 28: *Fuit autem & Gundeuchus rex Burgundionum, ex genere Alarici regis persecutoris, de quo supra meminimus. Huic fuerant quatuor filii, Gundobaldus, Godegisilus, Chilpericus & Godomarus. Igitur Gundobaldus* CHILPERICUM *fratrem suum interfecit gladio, uxoremque ejus ligato ad collum lapide, aquis immersit. Hujus duas filias exilio condemnavit: quarum senior, mutata veste Mucuruna, junior* CHROTILDIS *vocabatur. Porro Chlodoveus, dum legationem in Burgundiam sæpius mittit, Chrotildis puella reperitur a legatis ejus. Qui cum eam vidissent elegantem atque sapientem, & cognovissent, quod de regio esset genere, nunciaverunt hæc Chlodoveo regi. Nec moratur ille, ad Gundebaldum legatos dirigit, eam sibi in matrimonio petens. Quod ille recusare metuens, tradidit eam viris. Illique accipientes puellam Regi velocius repræsentant, qua visa Rex valde gavisus suo eam conjugio sociavit* — GESTA EPITOMATA cap. XI & XII negotio isto biennium absumtum tradunt. Autor est TURONENSIS, cum bellum inferret Chlodoveus Alemannis, duos jam ex Chrotilde suscepisse filios. Bellum Thuringium gestum est anno 491 Allemannicum anno 496 medio. Natus itaque Chlodomeres filius vel primo dimidio anni 496 vel declinante 495. Ingomeres anno 494 sub finem, ducta ergo post absolutum a bello Thoringico biennium Chrotildis anno 493, quod contra RUINARTUM curatissimum alias, observandum, qui nuptias ad annum 496 alligat. Quando naturæ debitum reddiderit, prodit, GREGORIUS TURONENSIS. Primum Marito superstitem refert l. 2. cap. 43: *Chrotildis autem post mortem viri sui Turonos venit, ibique ad basilicam sancti Martini deserviens, cum summa pudicitia atque benignitate in hoc loco commorata est omnibus diebus vitæ suæ, raro Parisios visitans.* Tum post fata Theudeberti, qui anno 448 moriebatur, Libro IV cap. I, *Igitur,* inquit, *Chrotildis regina plena dierum bonisque operibus prædita apud urbem Turonicum, obiit* Septuagenaria die 3 Julii 548 ut habet P. ANSELMUS, *tempore Injuriosi Episcopi, quæ Parisios cum magno psallentium præconio deportata, in sacrario basilicæ S. Petri ad latus Chlodovæi Regis sepulta est a filiis suis Childeberto atque Chlothario regibus.*

VITA S. GENOVEFÆ autore fuppari *ad III Januar.* cap. XI, pag. 143: *Nam & gloriosæ memoriæ Chlodovaus Rex bellorum jure tremendus* --- *ejus* Genovefæ *gratia basilicam ædificare cœperat, quæ post discessum ejus studio præcellentissimæ Crotbildis Reginæ suæ celsum extulit ædificata fastigium.*

ALBOFLEDA
foror Chlodovei.

GREGORIUS TURONENSIS lib. 2. cap. 31: *Baptizata est & soror ejus ALBOFLEDIS, quæ non post multum tempus migravit ad Dominum, pro qua cum Rex contristatur, sanctus Remigius consolatoriam misit epistolam, quæ hoc modo sumsit exordium: Angit me & satis me angit vestræ causa tristitiæ, quod bonæ memoriæ germana vestra transiit Albofledis.*

Epiſtola REMIGII ipſa extat apud FREHERUM Scr. Franc. pag. 184. & ex eo apud DUCHESNIUM T. I. pag. 849: *Angit me & satagit vestræ causa tristitiæ, quod gloriosæ memoriæ germana vestra transiit ALBOCHILEDIS,* (leg: *ALBOFLEDIS*) --- *Vivit vestræ fidei* --- *ut benedictionem virginitatis acciperet: quæ sacrata non est lugenda, quæ flagrat in conspectu Domini flore virgineo, quo scilicet & corona tecta est, quam pro virginitate suscepit,* anno 497, ut opinatur RUINARTUS.

LANTHILDIS
foror Chlodovei.

GREGORIUS TURONENSIS l. 2. cap. 31: *Conversa est enim & alia soror ejus LANTHILDIS nomine, quæ in hæresin Arrianorum dilapsa fuerat,* errore forſan ſororis ſeducta, quam in Italiam comitata videtur, *quæ confessa æqualem filium Patri & Spiritum Sanctum, crismata est.*

AUDOFLEDA
Regina Italiæ, foror Chlodovei.

JORNANDES apud GRUTERUM pag. 1119: --- *Odoacer veniam supplicat, cui & primum concedens Theodoricus, Ostrogothorum Rex, postmodum hac luce*

luce privavit, tertioque ut diximus anno ingressus in Italiam --- insigne regii amictus, quasi jam Gothorum Romanorumque regnator, assumit. Missa legatione ad Lodoin Francorum Regem, filiam ejus Audefledam sibi in matrimonio petit, quam ille grate libenterque concessit. Ingressus est Theodoricus Italiam anno 491, Odoacrumque trucidavit anno tertio, hoc est 493, tumque duxit Audefledam sororem, non filiam Chlodovei vigesimum octavum tum temporis annum agentis.

THEODORICI REGIS EPISTOLA apud CASSIODORUM L. II. Nro 41 in BIBLIOTHECA MAXIMA PATRUM pag. 1127: *Luduin Regi Francorum Thedoricus Rex. Gloriosa quidem vestræ virtutis affinitate gratulamur, quod --- Alamannicos populos --- victrici dextra subdidistis.* Ergo scripta 496. Prima libri III: *Alarico Visigothorum Regi --- quapropter sustine te, donec ad Francorum Regem Legatos nostros dirigire debeamus: ut litem vestram amicorum debeant amputare judicia. Inter duos enim nobis affinitate* Alaricum generum, Chlodoveum uxoris fratrem *conjunctos non optamus aliquid tale fieri, unde unum minorem contingat forsitan inveniri.* Qvarta libri secundi: *Luduin regi Francorum Theodoricus Rex. Adeo inter Reges affinitatis jura divina coalescere voluerunt, ut per eorum placabilem animum proveniat quies optata populorum.* Dehortatur porro Chlodoveum bellum contra Alaricum, unde patet, utramque epistolam statim ante prælium Vocladiense exaratam.

GREGORIUS TURONENSIS l. 3. cap. 31: *Et quia* THEODORICUS *Rex Italiæ* CHLODOVEI REGIS SOROREM *in matrimonio habuit, mortuus parvulam filiam eum uxore reliquit. Hæc cum adulta facta esset --- servum suum Trevilanum nomine accepit & aufugit --- Tunc mater ejus contra eam frendens, exercitum commovit. At illi,* Gothi, *venientes super eos, Trawilanem interfecerunt gladio, ipsam quoque cædentes in domum matris reduxerunt. Erant autem sub Arriana secta viventes. Et quia consvetudo eorum est, ut ad altarium venientes, de alio calice Reges communicent, & de alio populus minor, venenum in calice illo posuit, de quo mater communicatura erat. Qvo illa hausto, protinus mortua est --- Indignantes ergo Itali contra hanc mulierem Theodatum Regem Thusciæ invitantes, super se Regem constituunt.* Desiit vivere Theodoricus 30. Aug. 526. Vocatusque Theodatus anno 534. Hinc enecta mater parricidio filiæ anno 533.

THEO-

THEODERICUS
filius Chlodovei ex Concubina.

GREGORIUS TURONENSIS Libro II. cap. 28: *Rex --- eam Chrotildem suo conjugio sociavit, habens jam de concubina filium nomine* THEODORICUM. Cap. 38. *Chlodoveus vero,* post victoriam Vocladensem, *filium suum* THEUDORICUM *per Albigensem ac Rutenam civitatem ad Arvernos dirigit. Qui abiens, urbes illas a finibus Gothorum usque Burgundionum terminum, patris suæ ditionibus subjugavit.*

EPITOME FREDEGARII cap. 30: *Quatuor filii Chlodovei, id est, Theudericus, Chlodomeres, Childebertus & Chlotarius, regnum ejus æquo ordine inter se dividunt. Sortitus est sedem* THEUDERICUS METTIS, *Chlodomeres Aurelianis, Childebertus Parisios & Chlotarius Suessionas. Theudericus habebat jam filium nomine Theudebertum utilem & strenuum.*

RORICO pag. 817: *Chlodoveus de die in diem sentiens langvorem ingrescere, convocatis Francorum Proceribus, Regnum suum divisit in partes & filiis suis quatuor easdem partes distribuit --- & Theoderico, quem ex concubina genuerat, Remis civitatem atque Cameracum indulsit.* Austrasiam itaque atque Transrhenanas ditiones cum Campania adeptus est, quibus PAGIUS Arvernos, Rutenos, Cadurcos, Albigenses in Aquitania prima, & Ucetias in Narbonensi adjungit.

Compendium Vitæ ex GREGORIO strictim exhibemus L. III. cap. 2: *apud Arvernos --- quatuor annos post Chlodovei obitum (515) Quintianum episcopum confirmat.* Cap, 3: *His ita gestis Dani* (Fredegarii Epitome falso habet *Alani*) *cum rege suo Chochilaicho pagum* (Gesta Francorum addunt *Attoarios*, Geldriam hodiernam) *Theodorichi investantes* pelluntur *(516 vel potius 517)* Cap. 4: *Porro tunc,* nempe 517, *apud Thoringos --- Hermenefridus --- contra fratrem insurgit, ac per occultos nuncios Theodoricum regem ad eum persequendum incitat* spe dividundæ prædæ, *obtenta victoria Theodoricus --- reversus. --- Hermenfredus --- quod --- pollicitus est, implere despexit, ortaque est inter eos grandis inimicitia.* Cap. 6: *Dolose Chlodomeri præstitit auxilia contra Burgundos (523)* Cap. 7: *Post Theodoricus non immemor perjurii Herminfredi regis Thoringorum --- adversum eum ire disponit --- Thoringi --- fugato præ timore Hermonfredo rege ipsorum terga vertunt, & ad*

ad Oneſtrudem fluvium Theodericus & ſocii *uſque perveniunt --- Patrata ergo victoria regionem illam capeſſunt & in ſuam redigunt poteſtatem.* Annum, quo bellum cœptum indicat PROCOPIUS bello Goth. L. I. *Poſtquam mortalitatem explevit Theudericbus* Italus anno 526, 30 Auguſti, *Franci, nemine jam ſatis valido, ut eis reſiſteret, in Thuringos bellum movent, occiſoque eorum principe Hermenefrido gentem ipſam ſuæ ditionis faciunt.* Irruit ergo in Thuringiam anno 527 vel, quod RUINARTUS vult, 528, ſubjugavitque Thuringiam ſequenti anno. GREGORIUS Cap. 9.: *Cum autem Theodoricus in Thoringia eſſet --- Arcbadius unus ex Senatoribus Arvernis Childebertum invitat, ut regionem illam deberet accipere.* (530) Cap. 12: *Theodericus vero cum exercitu in Arvernos veniens, totam regionem devaſtat ac proterit ---* Capite 23: *In illius diebus Theodoricus parentem ſuum Sygivaldum occidit gladio --- dum hæc agerentur --- Theodoricus non poſt multos dies obiit, viceſimo tertio regni ſui anno,* Chriſti 534, qui ex additis 511 & 23 exſurgit, ætatis 51, quod ſine teſte aſſerit P. ANSELMUS in Hiſt. Geneal. de la Mais on de France.

Conjuges Theodorici.

Priorem conjugem AUBERTUS MIRÆUS atque PATER ANSELMUS nullo teſtimonio freti perhibent *EUSTERAM FILIAM ALARICI JUNIORIS GOTHORUM REGIS* in pugna Vocladienſi peremti. Alteram teſtatur GREGORIUS TURONENSIS l. 3. cap. 5: *Igitur mortuo Gundobaldo regnum ejus Sygimundus filius ejus obtinuit --- Hujus filiam rex Theodoricus accepit* anno 522 ſecundum calculum PAGII. Ex priori matrimonio ſuſcepit filium, ex altera filiam, quod anni & rerum circumſtantiæ ſvadent: Uxorem Burgundicam antea Arriana hæreſi infectam; atque ejurata ea in gremium Catholicæ fidei receptam docet TITULUS VIII. Homiliarum AVITI in Bibliotheca Maxima Patrum T. IX pag. 496: *Homilia dicta in Converſione domini Segiſrici poſtridie, quam ſoror ipſius ex Arriana hæreſi eſt recepta.* Nomen ejus fuiſſe Svavegotham, in filia Theodechilde ex FLODOARDO oſtendemus.

THEODECHILDIS
Filia Theoderici Regis ex Svavegotha.

VITA S. THEODORICI ABBATIS REMENSIS apud DU-CHESNIUM

CHESNIUM T. I. pag. 538 : *Defuncto Chlodoveo Magno Rege --- filius ejus Theodericus regni gubernacula suscepit ---. Sanctus Remigius adhuc Remorum regebat Ecclesiam. Hujus itaque Rex expertus plurimorum relatu virtutes, pro FILIA rogaturus, quam unico amore diligebat, quæque gravi incommodo tenebatur, missos eidem dirigit : obnixe deprecans ut ad eum veniret, & langvore fortissime ægrotanti cum subsidio orationis manum imponeret. S. Remigius misit sanctum Theodericum, qui filiam jam mortuam, cum perventum esset in Palatium, resuscitavit.*

PROCOPIUS l. 4. de bello Gothico cap. 20 ex interpretatione CLAUDII MALTRETI pag. 620 : *Trans fluvium Istrum habitant VARNI, pertinentque ad Oceanum usque Borealem & Rhenum amnem, qui ipsos ac Francos, aliasque vicinas gentes disterminat --- Brittia autem insula in hoc Oceano sita est, haud amplius CC stadiis procul a littore, contra ipsi Rheni ostia inter Brittanniam ac Thulen Insulam --- Brittiam insulam nationes tres numerosissimæ suo quæque sub Rege habitant : Angli, Frisones, cognominesque insulæ Brittones.* Ex his patescit, Procopium ex una duas fecisse insulas, nisi explicare velis Brittanniam de Hibernia, Brittiamque inter Brittanniam atque Thulen interjacentem de Brittannia ipsa. --- *Certe Francorum Rex Sigebertus non ita pridem, cum nonnullis ex intimis Byzantium legatos ad Justinianum Augustum mitteret, Anglos illis adjunxerat, ambitiose ostendens, se huic etiam insulæ dominari. Haud multo ante Varnis imperaverat HERMEGISCLUS. Is regnum firmare satagens, THEODEBERTI Francorum Regis SORORUM matrimonio sibi junxerat, recens mortua priori conjuge, unice parente filii, cui nomen RADIGER. Hunc pater sibi relictum despondit puellæ virgini, natione Brittiæ, cujus frater tunc temporis Rex Anglorum erat ---* Hermegisclus morti proximus collectis proceribus, *Equidem,* inquit, *providentiam eo contuli, ut in otio tutissime viveretis : ideoque cum Francis affinitatem contraxi, petita mihi ductaque inde uxore, & filio meo sponsam Brittiam dedi. Jam vero, quando me brevi moriturum intelligo, nec virilem aut fœmineam prolem ullam suscepi ex ista conjuge, necdum etiam nuptiis alligatus est filius meus ; agite --- insulanæ filii mei sponsæ remittite nuncium --- Radiger autem filius novercam suam quemadmodum nobis lex patriæ permittit, uxorem ducat. Hæc locutus - - obiit. Hermegiscli filius regno Varnorum suscepto de sententia procerum gentis illius barbara consilium demortui exequitur, ac statim repudiata sponsa cum noverca connubium iniit.* Sponsa opprobrium ultum classe appulit in continentem, *Varnosque metatos castra non procul Oceani littore atque ostiis Rheni* in fugam pellit. Radigerus capitur, vinctusque affertur puellæ. *Ille tremebundus excusat factum --- culpam adscribens necessitati, maritum ejus, si modo velit, fore se pollicetur. --- Assensa his puella, exuitur vinclis Radiger, humanissime habetur. Mox remissa Theodeberti sorore, Brittiam sibi copu-*

lat

tat matrimonio. Hunc res exitum habuit. Quod nomen fuerit Brittiæ sponsæ, quis frater, ea cura nos jam non tangit. E re est, indagasse nomen Reginæ Varnorum. Hoc juxta SIRMONDI, COINTII, VALESII, ANSELMI reliquorum effata haurire licet ex Carminibus FORTUNATI, quorum sextum libri 6 inscripsit Theodechildæ Reginæ.

Inclita progenies regali stirpe coruscans
Cui celsum a PROAVIS nomen origo dedit.
Currit in orbe volans generis nova gloria vestri
Et simul hinc FRATER personat inde PATER.
- - - - - - - -
Ornasti antiquum THEODECHILDA genus.
Mens veneranda, decens, solers, pia, chara, benigna,
Cumsis (quodsi esses) *prole potens, gratia magis adest* (adesset.)

Libro 4to inseruit etiam §. 25. Epitaphium Theodechildis, unde hæc in nostrum usum:

Inclita nobilitas genitali luce coruscans,
Hic properante die THEODECHILDA jacet.
Cui FRATER, GENITOR, CONJUX, AVUS, atque PRIORES
Culmine succiduo Regius ordo fuit.
- - - - *terrena in luce relata*
Ter QUINO LUSTRO vixit in orbe decus.

Nulli hæc convenere melius ac filiæ Theoderici, cujus pater, Theodebertusque frater Regum Francorum sui temporis nominatissimi. Conjuges Hermegisclus & Radigerus. Avus Chlodovæus paternus, maternus Sigismundus Burgundionum, quorum parentes, priores Theudechildis. Extat quidem apud LABBEUM in Miscellaneis Curiosis atque COINTIUM *Clodovei Regis praceptum* pro ditando Monasterio Senonensi, cui subscripsisse legitur: *Theodechildis filia Clodovei*, ac falsitatis convictam exploderunt diu eruditi chartam. Nec cum extiterit Chlodovæi filia Theodechildis, in eam quadrarent omnino verba FORTUNATI, utpote cujus præter

avum priores nec Regius ordo fuit, nec unus tantum extitisset frater sed plures. Reliqua, quæ dubium movere possent, FORTUNATI verba de prole Theodechildis jam explicavimus. Meminit ejus TURONENSIS de gloria Confessorum cap. 41: *Germanus autem gloriosus Confessor in urbe Roma obiit: inde Antissiodorum delatus sepulturæ mandatus est. Tempore autem Theudechildæ Reginæ Nunnius quidam ex Arverno de Francia post reddita tributa revertens, Antissiodorensem urbem adivit, causa tantum religionis, provolutusque ad sepulchrum* &c. --- Accidit miraculum, quod postea refert TURONENSIS post annum 576, quo Germanus Parisiensis Episcopus ad cœlos evolavit. Tum temporis residebat Arvernis Theodechildis separata jam multos annos a Radigero, (quod contra ECCARDUM monemus, qui recte calculo subducto circa 551 a Radigero dimissam adleverat, & tamen verba, *tempore Theodechildis Reginæ*, explicare ausus est, *cum adhuc Theodechildis Regina Varnorum esset, inque Varnis degeret.*) fruebaturque reditibus in Gallia ipsi assignatis. Munificam porro se præbuit in ecclesiam Rhemensem teste FLODOARDO, qui historia Rhemensi l. 2. cap. 1. de Mapinio Episcopo Rhemensi agens: *Hujus*, ait, *temporibus SVAVEGOTHA REGINA Rhemensi Ecclesiæ tertiam partem villæ Virisiaci, per testamenti paginam delegasse reperitur. Quam partem villæ ipse quoque Præsul THEUDECHILDI, PRÆFATÆ REGINÆ FILIÆ, usufructuarie per precariam, salvo Ecclesiæ jure concessit, ita dumtaxat, ut post ejus obitum absque ullo præjudicio, sicut ab ea meliorata fuisset, ad ditionem Rhemensis revocaretur Ecclesiæ. Quare scilicet Theudechildis Regina postmodum nonnulla, per testamenti sui auctoritatem, tempore domini Ægidii, Rhemensi contulit Ecclesiæ prædia.* Ægidius depositus est in concilio Rhemensi anno 590. Hujus itaque tempore adhuc vixit Theudechildis. Ceterum discimus ex FLODOARDO nomen matris ejus, ex domo Burgundica oriundæ, quæ dum anno 522 Theodorico in matrimonium collocata, atque Theodechildis a FORTUNATO dicatur ter quina lustra sive septuaginta quinque annos vixisse, demumque ex Procopii serie rerum gestarum non occulte concludatur, eam circa 551 locum fecisse virgini Brittiæ, merito constituimus, Theodechildem anno 523 natam, annoque 598 denatam fuisse. Sepulturæ tradita est in Monasterio Senonensi (*Saint Pierre le Vif*) ab ipsa constructo teste EPITAPHIO, quod DUCHESNIUS T. I. pag. 519 ex ODORANNI SENONENSIS Chronico recitat:

Hunc regina locum Monachis construxit ab imo
Teuchildis rebus nobilitando suis.
Cujus nunc licet hoc corpus claudatur in antro,
Spiritus astrigero vivit in axe Deo.

Diem

Diem vel ſepulturæ vel tranſitus celebrant ſacris ſolennibus iidem Senonenſis Cœnobitæ *XXVIII*, vel ut ANSELMUS autor eſt, *XXVI menſis Junii*, ex quo ſimul patelcit, Theodechildem poſt fata inter cœlites eſſe cooptatam

THEODEBERTUS Rex Auſtraſiæ, filius Theoderici, ex priore Conjuge.

GREGORIUS TURONENSIS l. 3. cap. 1: *Defuncto igitur Chlodoveo rege, quatuor filii ejus --- regnum ejus accipiunt --- Habebat jam tunc THEODORICUS FILIUM nomine THEODOBERTUM elegantem atque utilem.* Cap. 3: *--- Dani cum rege ſuo nomine Chochilaicho evectu navali per mare Gallias appetunt. Egreſſique ad terras pagum unum de regno Theodorici devaſtant --- quod cum Theodorico nunciatum fuiſſet --- Theodebertum filium ſuum in illas partes cum valido exercitu atque magno armorum apparatu direxit. Qui interfecto Rege, hoſtes navali prælio ſuperatos opprimit, omnemque rapinam terræ reſtituit.* Gloriam hanc conſecutus eſt Theodebertus anno 516 an 517. Pater Burgundicam duxit uxorem anno 522. Ergo ex priore ſuſceptus. Cap. 23: *--- Nunciatur Theodoberto, patrem ſuum graviter ægrotare --- Theodoricus non poſt multos dies obiit viceſimo tertio regni ſui anno. Conſurgentes autem Childebertus & Chlotarius contra Theodebertum, regnum ejus auferre voluerunt. Sed ille muneribus placatis, a Leudibus* (vaſallis) *ſuis defenſatus eſt, & in regno ſtabilitus.* Cap. 28: *Childebertus autem & Theodebertus commoventes exercitum contra Chlotarium ire diſponunt,* ſed miraculo intercedente *pacem & concordiam petierunt* (*537.*) Capite 32: *Theodobertus vero in Italiam abiit, & inde multum adquiſivit, --- dicitur --- uſque Ticinum acceſſiſſe civitatem, in qua Buccellinum rurſum direxit. Qui minore illa Italia capta atque in deditionem Regis ante dicti redacta, majorem petiit: in qua contra Belliſſarium multis vicibus pugnans victoriam obtinuit. Imperator --- Narſetem in ejus locum ſtatuit --- Buccellinus vero capta omni Italia uſque in mare terminum dilatavit --- Deinceps vero Buccellinus Siciliam occupavit, de qua etiam tributa exigens Regi tranſmiſit.* Prolixe de hac expeditione egit AGATHIAS SCHOLASTICUS Libro I apud DUCHESNIUM pag. 140. ſeqq. Notas Chronicas adjecit MARIUS AVENTICENSIS pag. 213: *Appione Conſule Indict. II. Hoc Conſule Theudebertus Rex Francorum Italiam ingreſſus Liguriam, Æmiliamque devaſtavit: ejus exercitus loci infirmitate gravatus, valde contribulatus eſt.* Indictio ſecunda Kalendis Sept. anni 538 exorſa per annum 539 currebat.

Facta sua heroica, gentesque subactas ipse Rex Justiniano Imperatori enumerat in epistola ad Justinianum scripta apud FREHERUM & DUCHESNIUM T. I. numero 20: --- *Id vero quod dignamini esse solliciti, in quibus Provinciis habitemus, aut quæ gentes nostræ sint, Deo adjutore, ditioni subjectæ, Dei nostri misericordia feliciter subactis Thuringis, & eorum Provinciis acquisitis, extinctis ipsorum tunc temporis Regibus, Norsauorum gentis nobis placata Majestas colla subdidit*, Normannos sive Danos superatos innuere videtur, *Deoque propitio Wisigothis, qui incolebant Franciæ Septentrionalem plagam, Pannoniam, cum Saxonibus Euciis, qui se nobis voluntate propria tradiderunt, per Danubium & limitem Pannoniæ, usque in Oceani littoribus, custodiente Deo, dominatio nostra porrigitur.*

GREGORIUS TURONENSIS l. 3. cap. 36: --- *Theodebertus Rex --- cum diutissime ægrotasset --- reddidit spiritum ---* Cap. 37: *A transitu igitur Chlodovei*, qui anno 511 fatis functus, *usque in transitum Theodoberti computantur triginta septem*, qui additi 511 efficiunt annum 548. *Mortuo ergo Theodeberto quarto decimo regni sui anno*, qui a 534 computatus incidit in annum 548, *regnavit Theodovaldus filius ejus pro eo.*

MARIUS AVENTICENSIS pag. 213: *Post consulatum Basilii anno VII Ind. XI*, quæ anno 548 currebat: *Eo anno Theudebertus Rex magnus Francorum obiit, & sedit in regno ejus Theudebaldus filius ejus.*

CONJUGES Theodoberti Regis.

GREGORIUS TURONENSIS L. 3. cap. 20: *Theodericus autem filio suo Theodoberto WISIGARDEM cujusdam Regis filiam desponsaverat.*

PAULUS WARNEFRIDI L. 1. cap. 21: *Habuit autem Wacho* Rex Longobardorum *uxores tres, hoc est, primam Ranicundam filiam regis Turingorum, deinde duxit Austrigosam, filiam regis Gepidorum, de qua habuit duas filias, nomen uni WISEGARDA, QUAM TRADIDIT IN MATRIMONIUM THEODEBERTO regi Francorum, secunda dicta est Walderada, quæ sociata est Cusupald* (Theodobaldo) *alio regi Francorum, quam ipse odio habens, uni ex suis, qui dicebatur Garibald, in conjugium tradidit.*

GREGORIUS TURONENSIS L. 3. cap. 21: *Theodobertus* a patre missus

missus contra Visigothos, *usque ad Biterrensem civitatem abiens, Deas castrum obtinuit --- Deinde ad aliud castrum nomine Caprariam legatos mittit.* Cap. 22: *Erat autem ibidem tunc matrona* DEUTERIA (FREDEGARIUS Epit. cap. 38. habet *THEOTERIAM genere Romanam* sive Gallam. Galli enim, quod parerent Romanis, Romani cluebant) *nomine, utilis valde atque sapiens, cujus vir apud Biternas urbem concesserat. Quæ misit nuncios ad Regem, dicens: Nullus tibi, Domine piissime, resistere potest. Cognoscimus dominum nostrum, veni, & quod fuerit beneplacitum in oculis tuis, facito. Theodebertus autem ad castrum veniens --- Deuteria in occursum ejus venit, ac ille speciosam eam cernens, amore ejus capitur, suoque eam copulavit strato,* ante mortem patris 533. Cap. 23: *In illis diebus --- nunciatur Theodeberto, patrem suum graviter ægrotare --- ille --- illuc direxit, Deuteria cum filia sua ex anteriori marito Arverno relicta. --- Theodericus --- obiit --- ille --- in regno stabilitus mittens post Arvernum, Deuteriam exinde accersit, eamque sibi matrimonio sociavit,* anno 534. Cap. 26: *Deuteria vero cernens filiam suam adultam valde esse, timens, ne eam concupiscens Rex sibi adsumeret --- eam de ponte præcipitavit --- apud Viridunum civitatem.* Cap. 27: *Cumque jam septimus annus esset, quod WISIGARDEM desponsatam haberet, & eam propter Deuteriam accipere nollet, conjuncti Franci contra eum valde scandalizabantur: Quare sponsam suam relinqueret? Tunc commotus, relicta DEUTERIA, de qua PARVULUM FILIUM habebat, THEODOALDUM nomine, Wisigardem duxit uxorem. Quam nec multo tempore habens, defuncta illa, aliam accepit. Verumtamen Deuteriam ultra non habuit.* Cap. 28: *Childebertus autem & Theodobertus --- contra Chlotarium ire disponunt.* Suscepta expeditio, judice RUINARTO, cui rerum circumstantiæ pollicem premunt, anno 537, ipsoque anno Deuteria rejecta videtur, Wisigardisque per Septennium sponsa in thalamum ascita. Desponsata itaque 530. Quando vero vitam clauserit, & quæ tertia Theodeberti Conjux fuerit, latet.

THEODUALDUS, Rex Austrasiæ, filius Theodeberti.

Theodualdum filium vidimus Theodeberti. Natum suspicamur anno 534 vel 535, anno post ductam Deuteriam. Fasces paterni Regni auspicatus est 548, testibus GREGORIO atque MARIO jam laudatis. Addimus coævum FAUSTUM discipulum S. Mauri in Vita S. Mauri apud SURIUM T. I. & Antw. XV Januarii cap 9: *Theodebertus igitur Rex cum XIIII annis strenue ac nobiliter Francorum gubernasset Regnum, Theodebaldo filio suo sedem Regni post se dereliquit --- Sed & hic cum parvo tempore Regni apicem honorifice*

fice cum pace obtinuisset, immatura præventus morte, Clothario Principatus dimisit Monarchiam. De gestis ejus nihil est in fastos relatum, præterea quæ habet GREGORIUS TURONENSIS L. 3. cap. 9: *Theodualdus vero cum jam adultus esset VULDOTRADAM duxit uxorem.* Nuptias, opinamur, contraxit sedecim annos natus anno 550, cum Waltrada filia Wachonis Longobardici, sorore Wisegardæ suæ novercæ, ut autor est PAULUS WARNEFRIDI loco supra recitato, sed quod ætate nimium præcederet Regem, ex suo thalamo in Garibaldi Bavari satoris Agilolfingicæ gentis in Italia postea dominatæ thalamum jussit exire. Pergit TURONENSIS: *Hunc Theodovaldum ferunt mali fuisse ingenii --- Sub eo & Bucellinus, cum totam Italiam in Francorum regnum redegisset a Narsete interfectus est. Italia ad partem Imperatoris* Constantinopolitani *capta, nec fuit, qui eam ultra reciperet. --- Ipse vero valde infirmatus --- septimo regni sui anno mortuus est, regnumque ejus Chlotarius rex accepit, copulans Valdotrudam uxorem ejus strato suo. Sed increpitus a sacerdotibus reliquit eam, dans ei Garivaldum ducem.* Fallitur ergo PAULUS, dum medium Waldradæ conjugem omisit, sicut enim PAULO ortus Waldradæ credendus, ita in recensione fatorum TURONENSI fides habenda.

MARIUS AVENTICENSIS pag. 214: *Post Consulatum Basilii anno XIV Indict. III. Hoc anno Theudobaldus Rex Francorum obiit, & obtinuit Regnum ejus Chlothacarius patruus patris ejus.* Septimus Theudobaldi annus, post Consulatum Basilii decimus quartus, & Indictio III uno concentu in annum Dionysianum 555 quadrant.

APPENDIX AD MARCELLINI COMITIS CHRONICON apud DUCHESNIUM T. I. pag. 217: *Ind. I. P. C. Basilii V. C. XII Theodebaldus Francorum Rex moritur, & Regnum ejus uxoremque Vanderadam Hlotarius Rex patris ejus Theodeberti patruus accepit, qui jam XLIV annis regnabat.* Indictio I annusque duodecimus post consulatum Basilii designant annum 553, quæ notæ Chronicæ falso a Continuatore appositæ anno regiminis XLIV Clotharii corrigendæ. Is enim exacte innuit annum 555 ab anno 511 computatus.

BERTOARA
filia Theodoberti.

FORTUNATUS PICTAVIENSIS Libro II. Nro 12. apud DUCHESNIUM T. I. pag. 466. *de baptisterio Moguntiæ,* quod *Sidonius Antistes* Moguntinensis. *struxit*

Struxit BERTHOARÆ voto complente Sacerdos,
quæ decus Ecclesiæ cordis amore placet.
Catholicæ fidei splendor, pietate coruscans,
templorum cultrix, prodiga pauperibus - -
FILIA digna patri, te, THEODEBERTE reformans
rexisti patriam,qui pietate patris.
Et comitante fide revocasti ex hoste triumphos,
sed capti precio mox redicere tuo.

PROCOPIUS de bello Gothico libro III ex interpretatione CLAUDII MALTRETI Cap. 37. pag. 553: *Non ita pridem TOTILAS missa ad Francorum Regem legatione, ejus FILIAM sibi petierat in matrimonium. Is vero abnuerat, negans, illum Italiæ regem esse vel futurum unquam, qui Romam captam retinere nescivisset, ac parte ejus diruta, illam iterum permisisset hostium potestati.* Repulsa lata anno XV belli Gothici, ut ex fine capitis 35 apparet, qui annus cum XXIII Justiniani currebat, ideoque in Christi annum 549 incidit. Cur vero hanc ipsam Bertoaram dixerim non alias causas habeo, nisi, quod uno consensu omnes, qui de Merovæis regibus quid consignatum reliquerunt, ejus patrem Theodebertum crepant, quamvis is jam 548 animam posuerat. Certe si Bertoara fuit petita, substituendum in Procopio pro *filiam, sororem,* intelligendusque Theodoaldus frater anno 549, XXIII anno Justiniani, XV belli Gothici regnans. Licet enim *pridem* missam legationem narret Autor noster, post captam atque redditam Romam missa fuit. Utrumque accidisse debuit eodem anno post fata Theodeberti teste cap. 36 PROCOPII. MARIUS AVENTICENSIS in Chronico *ad annum VI post Consulatum Basili Ind. X.* notavit. *Eo anno Baduila Rex Gothorum Roma capta depopulavit, dejectáque muris partem civitatis incendit. Eo anno resumptis viribus Belesarius Dux civitatem Romam ad Romanum dominium revocavit.* Designant notæ Chronicæ 547 annum, quo Theodebertus inter vivos adhuc versabatur. Alter itaque amborum in consignando anno errorem commisit, sed antiquior Procopius res suis annis curate satis distribuit, quod in causa est, ut, rejecto MARIO, PROCOPII potius authoritatem sequamur.

INGOMERES
filius Chlodovæi Magni.

GREGORIUS TURONENSIS lib. 2. cap. 29: *Igitur* Chlodovæus *ex CHROTILDE Regina habuit FILIUM primogenitum, quem cum mulier baptismo consecrare vellet, prædicabat assidue viro dicens: Nihil sunt Dii, quos colitis --- Interea Regina fidelis filium ad baptismum exhibet --- Baptizatur autem puer, quem INGOMEREM vocitaverunt, in ipsis, sicut regeneratus fuerat, albis, obiit.* Editus in mundum egressusque circa Pascha Ingomeres anno 494, quod supra in Chrotilde matre evicimus.

CHLODOMERES
filius alter Chlodovæi.

Pergit GREGORIUS l. c. *Post hunc genuit alium filium, quem baptizatum CHLODOMEREM vocavit. Et cum ægrotare cœpisset dicebat Rex: Non potest aliud fieri, nisi & hoc, sicut & de fratre ejus, contingat, ut baptizatus in nomine Christi vestri, protinus moriatur. Sed orante matre Domino jubente convaluit.* Natus patre Ethnico Clodomeres sacraque unda ablutus ante bellum Alemannicum ideoque anno 495.

FREDEGARIUS Epitome cap. 30: *Quatuor filii Clodovei --- regnum ejus æquo ordine inter se dividerunt. --- Sortitus est sedem CHLODOMERES AURELIANIS ---* Possedit porro, indice Pagio, *Senonas, Antissiodorum, Turones, Cenomanum, Andegaviam, & Novempopulaniam.*

GREGORIUS TURONENSIS L. III. cap. 6: *Chrotildis vero regina Chlodomerem & reliquos filios suos alloquitur dicens --- patris matrisque meæ mortem sagaci studio vindicate. Hæc illi audientes Burgundias petunt, & contra Sygimundum & fratrem ejus Godomarum dirigunt, devictoque exercitu eorum, Godomarus terga vertit. Sygimundus vero --- a Chlodomere captus cum uxore & filiis captivus abducitur --- Godomarus --- regnum recipit. --- Chlodomeris --- interfecto Sygimundo cum uxore & filiis --- Burgundias petiit, vocans in suppetias Theodoricum Regem. Ille autem injuriam soceri sui vindicare volens, ire promisit. Cumque pariter apud Visorontiam* (Voiron) *locum urbis Viennensis conjuncti fuissent, cum Godomaro confligunt.*

gunt. Cumque Godomarus cum exercitu terga vertiſſet, & Chlodomeres inſequeretur, ac de ſuis non modico ſpacio elongatus eſſet adſimilantes illi ſignum ejus, dant ad eum voces dicentes: Huc huc convertere, tui enim ſumus. At ille credens abiit, irruitque in medium inimicorum ſuorum: cujus amputatum caput & conto defixum, elevant in ſublime: quod Franci cernentes atque cognoſcentes, Chlodomerem interfectum, reparatis viribus Godomarum fugant, Burgundiones opprimunt, patriamque in ſuam redigunt poteſtatem.

MARIUS AVENTICENSIS pag. 212: C. *Maximo. Indictione I.* quæ anni 523 maximam partem currebat. *Hoc Conſule Sigiſmundus Rex Burgundionum a Burgundionibus Francis traditus eſt, & in Francia in habitu Monachali perductus, ibique cum uxore & filiis in puteo eſt projectus. Juſtino II & Opilione. Indict. II (a 524) His Conſulibus Godomarus frater Sigiſmundi, Rex Burgundionum ordinatus eſt. Eo anno contra Chlodomerem Regem Francorum Viſeroncia præliavit, ibique interfectus eſt Chlodomeres.*

FREDEGARIUS Epitome cap. 36: *Cumque Veſontiæ Franci cum Burgundionibus bellum iniſſent, Chlodomeres capite truncatur, deceptus ab auxiliis Theuderici, qui filiam Sygbismundi habebat uxorem.*

GUNDEUCA
Uxor & filii.

GREGORIUS TURONENSIS l. c. *Nec moratus Chlodarius, uxorem Germani ſui* Chlodomeris *GUNTHEUCAM nomine ſibi in matrimonium ſociavit* (a. 524) *FILIOS quoque ejus Chrotildis regina, exactis diebus luctus, ſecum recepit ac tenuit, quorum unus THEODUALDUS, alter GUNTHARIUS, tertius CHLODOVALDUS vocabatur.* Cap. 18: *Dum autem Chrotildis regina Pariſiis moraretur, videns Childebertus, quod mater ſua filios* Chlodomeris *--- unico affectu diligeret --- miſit clam ad fratrem ſuum Chlotharium regem: Mater noſtra filios fratris noſtri --- vult --- regno donari: debes velociter adeſſe Pariſiis, & --- pertractare --- Utrum inciſa cæſarie, ut reliqua plebs habeatur,* en rationem, cur Reges Criniti dicti, quod unis comam alere licebat, *an certe his interfectis regnum germani noſtri inter nosmet ipſos æqualitate habita dividatur. --- Venit. --- Conjuncti autem miſerunt ad Reginam,* Tutricem nepotulorum, *quæ tunc in ipſa urbe morabatur: dicentes: Dirige parvulos ad nos, ut ſublimentur in regno. At illa gaviſa --- direxit eos --- --- Nec mora apprehenſum Chlotharius puerum ſeniorem, brachio eliſit in terram, defigensque*

gensque cultrum in axillam crudeliter interfecit, --- & alterum *accipiens transfixum cultro in latere, sicut fratrem prius fecerat, jugulavit. --- Regina vero --- utrumque pariter tumulavit, quorum unus decem annorum erat, alius vero septennis. Tertium vero Chlodovaldum comprehendere non potuerunt, quia per auxilium virorum fortium liberatus est. Is postposito regno terreno, ad Dominum transiit, & sibi-manu propria capillos incidens, clericus factus est: bonisque operibus insistens, Presbyter ab hoc mundo migravit.* (Addit Epitomator cap. 24 : *Noviento ville Parisiacæ suburbano depositus requiescit.*) *Hi quoque regnum Chlodomeris æqua lance inter se diviserunt.*

AIMOINUS l. 2. cap. 12 : *Reliquus qui superesat e fratribus --- fuga se exemit periculo, ei nomen* CLODOALDO. *Qui postea clericus factus, Presbyterque ordinatus, digne est conversatus, & finem vitæ sortitur Novigento* hodie S. Clou *villa territorii Parrhisiacæ urbis sepultus, multis miraculorum signis cœlo se vivere declarat,*

HINCMARUS VITA S. REMIGII apud DUCHESNIUM T. I. pag. 530 : *Filius Chlodomiri, filii Chludowici Regis nomine* CHLODOALDUS, *interfectis fratribus suis, quos una cum eo post patris obitum Chrotildis Regina nutriebat, in Clericum se totondit, & progressu temporis vitæ ac religionis suæ merito partem hæreditatis a patruis Regibus obtinuit. De qua Duziacum villam in pago Mosomagensi cum appenditiis suis S. Remigio ac Remensi Ecclesiæ tradidit, & villam Rulliacum in pago Biturico S. Dionysio delegavit. Villam vero Novientum in pago Parisiaco cum omnibus ad se pertinentibus, matri Ecclesiæ Parisius civitatis, ubi Presbyter extitit ordinarius, donavit. In qua villa plenus virtutibus migrans ad Dominum, in Ecclesia, quam ipse ædificaverat, corpore fuit in pace sepultus.*

Qvo anno immani adeo crudelitate in nepotes sævierit Chlotharius, adhuc sub judice lis est. RUINARTUS anno *526*, reliqui interque eos ANSELMUS anno 531 volunt. Uterque per ætatem Chlodomeris admittendus, qui 495 natus, 514 gignendis liberis extitit idoneus. Litem dirimeret Turonensis, cum sibi satis constaret. Refert capite quinto antecedenti : *Chlodomeris jussu Ommatium Episcopum Turonensem ordinatum esse --- eoque defuncto, Theodorum & Proculum episcopos ordinante Chrotilde regina,* tutrice liberorum Chlodomeris, *tribus annis Turonicam rexisse ecclesiam,* tum *Francilionem tertio Episcopatus sui anno veneno necatum* ipsique successisse *Injuriosum episcopum.* Demum sequenti capite enarrat *infandam puerulorum necem,* Perpetrata itaque sub Injurioso Episcopo. Jam si Theodorum eodem anno, quo fata subiit Chlodomeres, a Chrotilde regina constitutum ponamus, anno 527 una cum collega decessit, Francilionis annus tertius in annum 530 incidit,

incidit, & infantes occisi anno 531. Primogenitus itaque materno exclusus utero anno 521, Guntharius alter 524, quos inter medius Chlodoaldus intercessisse videtur, posthumus enim si editus, statim a morte patris avia tres filios in suam tutelam recipere nequivisset. Hæc ita recte se haberent, nisi Injuriosus Episcopus negotium facesseret, cunctasque notas temporarias interturbaret. Quæ GREGORIUS l. X cap. 31 de Turonensibus Episcopis congessit, pandunt affatim, a decessu Martini usque ad initium Injuriosi centum triginta quatuor annos defluxisse integros, non computatis, qui excurrunt, mensibus. Martini obitum anno 399 supra solidis argumentis assignavimus, adjectis 134, resurgit annus 533 vel 534 primus Injuriosi. Cum itaque serie Turonensis innitimur, necessario concluditur, Guntharium filium septennem anno 526 biennio post occisum patrem natum, & Clodoaldum minimum a. 527. Cujus computationis falsitas primo obtutu elucet. Melius itaque rationes subduxit RUINARTUS, impiam nepotum cædem in annum 526 referens. Suffragatur certe tum AGATHIAS L. I: *Cæso itaque Clotomero, statim fratres ipsius, neque enim adhuc alios liberos susceperat, regnum illius inter se sunt partiti,* quoniam enim non longe post patris fata, sua fata crudelia subierunt filii, de ipsis nihil inaudivit AGATHIAS, tum ipse GREGORIUS, qui Crotildem aviam narrat Parisiis degentem, cum occiderentur nepotes, quo se contulerat Turonis exequias Clodomeri eundi causa, aliquantisper morata. Colligitur itaque anno 516 nativitas Theodualdi, anno 519 Guntharii, & sequior quidam Chlodoaldi. Hunc præterea anno 551 Novigenti Monasterium ex suo nomine postea Fanum S. Clodoaldi (S. Clou) nuncupatum, ingressum, & septimo Septembris anni 560 cum odore sanctitatis defunctum referunt, qui res gestas Meroveadarum litteris consignarunt.

CLOTHILDIS
filia Clodovæi.

GREGORIUS TURONENSIS L. III. cap. 1: *Defuncto igitur Chlodoveo rege quatuor filii ejus --- regnum --- dividunt. --- AMALARICUS filius Alarici, rex Hispaniæ, SOROREM EORUM in matrimonium postulat: quod illi clementer indulgent, & eam ipsi in regionem Hispaniæ cum magnorum ornamentorum mole transmittunt.* Chlodoveus ad plures abiit 511, eoque anno concessa filia Hispano in thalamum, cum quatuordecim modo annos nata, vel ipso Allemannici belli anno vel sequenti in lucem edita fuerit necesse. Quæ ra-

tiones sufficiunt, cur tertium ipsi inter liberos Clodovæi locum dederimus. Pergit GREGORIUS L. III. cap. 10: *Quod certissime Childebertus cognoscens, Theodoricum fratrem ad recuperandam Arvernorum sibi a Childeberto ereptam civitatem accingi anno 531, ab Arverno rediit, in Hispaniam vero propter sororem suam CHROTHILDIM dirigit. Hæc vero multas insidias ab Amalarico viro suo propter fidem catholicam patiebatur --- Amalaricus vero hæc audiens --- ad Ecclesiam Christianorum confugere cupit. Sed priusquam limina sancta contingeret, unus emissa manu lancea eum mortali ictu sauciavit, ibique decedens reddidit spiritum. Tunc Childebertus cum magnis thesauris sororem assumptam secum adducere cupiebat, quæ nescio, quo casu in via mortua est, & postea Parisios adlata, juxta patrem suum Chlodoveum sepulta est.* Expeditionem confirmant VITA S. AVITI & S. EUSICII apud DUCHESNIUM T. I. pag. 514. Errat itaque PROCOPIUS, qui de bello Gothico L. 1. cap. 13. pag. 345. edit: MALTRETI hanc expeditionem Theodeberto Regi, quem Childebertum dicere debuisset, attribuit.

Aliam præter Chrotildam Clodovei filiam habet GENEALOGIA B. Arnulphi pag. 220: *Anastedes Regina Gotborum genuit filios Childebertum Regem, Chlotharium Regem, Chlodomerum Regem, Theodericum Regem, & filiam Malabergam Reginam Thoringorum. Hæc genuit filium Lotharium.* Sed manifesto hallucinatur Autor, ut in reliquis ita & in filia Malaberga.

CHILDEBERTUS Rex filius Chlodovei.

Testimonia coævorum in fratribus recitavimus, unde apparet Parisiorum urbem ipsi concessam fuisse sedem. Paruerunt porro Principi *Meldæ, Sylvanectum, Bellovacum, & quicqvid inde patet ad Oceanum, Provincia Lugdunensis secunda integra, Britannia Armorica, Redones, Nannetes, Veneti, & aliquot Aquitaniæ urbes* judice PAGIO, qui hæc mira sagacitate corrasit. Epitomen vitæ ex GREGORIO recensebimus. *Cum reliqvis fratribus in Burgundios movet 523, occisumque fratrem ulciscitur 524,* L. 3. cap 6. *Occupato Theodorico in Thuringia, Arvernos ei eripuit 530,* Cap. 9. *Indeque ejectus ab Amalarico Hispano vindictam sumit male habitæ sororis 531,* Cap. 10. *Occisis nepotibus cum Chlotario regnum Chlodomeris partitus 526,* Cap. 18. *Paulino Juniori Indict. XII. (534) Hoc Consule Reges Francorum Childebertus, Chlotarius & Theudebertus Burgundiam obtinuerunt, & fugato Godomaro Rege, Regnum ipsius diviserunt.* Hæc MARIUS AVENTICENSIS pag. 213. Adstipulatur GREGORIUS cap. 11. *Frustra Theodeberto*

Theodoberto nepoti eripere tentat Austrasiam 534, Cap. 24. *Ostrogothis extorquet Arelatum atque Massiliam, quarum illam monasterio condecoratam sibi retinet, hanc Clothario tradit 536*. PROCOPIUS L. III. CYPRIANUS Vita S. Cæsarii, & GREGORIUS M. ad Virgilium epistola 117. *Pacto cum Theodoberto inito contra Chlotarium insurgit, sed intercedente matre motus compressi 537*, GREGORIUS, Cap. 28. *In Hispaniam movet frustraque obsidet Cæsaraugustum 542*. Cap. 29. *Redux acquirit Vasconiam & Cantabriam*. VALESIUS L. VIII rerum Franc. COINTIUS ad annum 542. *Sollicitat Chramnum nepotem contra Chlotarium fratrem XIV quarto post Consulatum Basilii Indict. XIV*, hoc est anno 555. MARIUS AVENTICENSIS pag. 214. GREGORIUS cap. 15. seqq. *Fratris Clotacharii regnum sibi subjicere tentat 556*, MARIUS, GREGORIUS cap. 17.

MARIUS pag. 214 : *P. C. Basilii anno XVII Ind. VI* (anno 55?.) *Hoc anno Childebertus Rex Francorum transiit, & obtinuit Regnum ejus Chlotarius Rex, frater ejus*. Servavit AIMOINUS l. 2. cap. 20. diploma fundati a Childeberto Monasterii S. Vicentii haud procul Parisiis hodie S. Germain de Prè, quod sic finit : *Datum quod fecit mense Decembri die sexto, anno quadragesimo octavo, postquam Childebertus Rex regnare cœpit*. Capessivit fasces Childebertus anno 511, currebat itaque 6 Decemb: die 511 primus annus Childeberti, & 6 Decembri 558 quadragesimus octavus, quo conditum diploma. Asserit præterea unus omnium AIMOINUS cap. 29 : *Childebertum anno XLIX postquam regnare cœperat defunctum*. Quæ equidem si vera omnino habenda, Chronologiam MARII egregie labefacerent, resultaret enim annus 559 ultimus Childerici. At sequioribus seculis vel compositum vel interpolatum diploma judicarunt eruditi, neque tantæ fidei AIMOINUS, homo seculo nono junior, ut MARII gravissimi atque coævi Chronicographi authoritatem infringat. Novum immiscet scrupulum CONTINUATOR MARCELLINI COMITIS, qui ad *Indictionem V P. C. Basilii XVI* adnotavit : *Hildebertus Rex Francorum circa hæc tempora moritur, & Parisius in Basilica S. Vincentii a se constructa sepelitur, Regnumque ejus frater Hlotarius assumens, totam paterni Regni Monarchiam obtinuit*. Notæ enim Chronicæ annum 557 efficiunt. At ostendimus tum in Theodualdo tum Clothario, Compilatorem non curate satis res annis præfixis adjecisse sibi ipsimet sæpissime contrarium. Nihil ergo inde timendum, potiusque salva Chronologia MARII manet. Diem notavit sepulturæ USUARDUS Monachus S. Vincentii referente COINTIO, VALESIO, ECCARDO : *X Kalendas Januarii Parisiis Dedicatio Basilicæ in honore Crucis & S. Vincentii Martyris ac depositio Domini Childeberti Regis*. Templum ipsum describit graphice FORTUNATUS Libro II Carmine XI.

ULTRO-

ULTROGOTHA Uxor, Crotberga & Crotesindis filiæ.

GREGORIUS TURONENSIS L. 3. cap. 20: *Childebertus igitur rex ægrotare cœpit, & cum diutissime apud Parisios lectulo decubasset, obiit: & ad basilicam beati Vincentii, quam ipse construxerat, est sepultus. Cujus regnum & thesauros rex accepit: VULTHROGOTHAM vero & EJUS FILIAS duas, in exilium posuit.*

AIMOINUS l. 2. cap. 29: *Igitur defuncto gloriosissimo Rege Childeberto XLIX postquam regnare cœperat anno, nondum quidem dedicata vel consecrata Sancti Vincentii, quam fabricaverat ecclesia, gloriosus Clotharius rex non dignum ducens hoc procrastinandum, conferre curavit cum beatissimo Germano, unaque cum ULTROGOTHA regina præfati inclyti Childeberti uxore, nec non & cum CROTHBERGA & CROTHSINDA ejus affinibus, quatenus ipsa cum digno honore consecraretur a beatissimo Germano, & ut in die dedicationis, ex rebus propriis ipsi Ecclesiæ dotem honorifice conferrent. Quod & fecerunt, & scripto suo corroboraverunt.*

Ex VITA Sanctæ BATHILDIS Francorum Reginæ autore coævo apud SURIUM T. VII. & DUCHESNIUM T. I. pag. 668: --- *Pariquemodo de Vltrogotha fertur Regina, Childeberti videlicet Christianissimi Regis conjuge, eo quod nutrix fuisset Orphanorum* --- Confer Vitam S. MARCULFI apud SURIUM T. III: ubi: *Cum Rex Childebertus cum Regina Ultrogode* ---

FORTUNATUS Episcopus Pictaviensis L. 6. Carmine VIII: *De horto Ultrogothonis Reginæ* ---

Hæc (mala) *magno inseruit Rex Childebertus amore*

- - - - - - -

Possideas felix hæc VLTROGOTHO per ævum,
Cum GEMINIS NATIS tertia mater ovans.

Carmi e quarto libri VI in honorem Chariberti composito pag. 490:

De

De Childeberto veteres compesce dolores (Parisiorum urbem alloquitur)

- - - - - -

Charibertus adest, qui publica jura gubernans
tempore præsenti gaudia prisca refert.
In tantum patrui se prodidit esse sequacem,
Ut modo sit tutor conjugis, iste nepos.
Qui Childeberti retinens dulcedine nomen,
Ejus natarum est frater & ipse pater,
Quæ bene defensæ placido moderamine Regis,
In consobrino spem genitoris habent.

AGATHIAS SCHOLASTICUS l. 2: *Interea --- Theodibaldus adolescens, qui finitimis Italiæ Francis imperitabat --- jam e vivis excesserat --- Cum Childebertum & Chlotarium, utpote genere proximos lex patriæ ad hæreditatem juvenis vocaret, gravis statim inter eos contentio est orta, --- Childebertus enim jam senex erat, & præterquam quod gravis annis esset, accedebat etiam summa infirmitas, adeo ut ipsi totum corpus colliquatum tabidumque esset. Neque ulla ei erat proles mascula, quæ succederet in regnum; sed* FILIAS TANTUM *habens consenuerat ---*



ASSERTIONES TABULÆ III.

CLOTHARIUS I. filius Clodovæi Rex totius Galliæ.

Ortum ex Clodoveo & Crotilde demonstrant loca in fratribus descripta. Accedat Charta Abbatiæ *du Moustiers - Saint - Jean en Langres*, qua diploma in Chlodoveo I. recitatum confirmatur, cujus e Collectione PERARDI Decani particulam hanc excerpsit DUBOSIUS T. II. l. 4. cap. 3. pag. 555: *Chlotarius Rex Francorum vir illustris --- Igitur notum sit omnibus, quoniam divæ memoriæ genitor noster Chlodoveus ---* In sortem ipsi cessisse præter *Svessiones*, ubi regiam constituit, *Laudunum, Veromanduos, Ambianos, & quæ ultra Somonam inter Mosam atque Oceanum jacent una cum parte Aquitaniæ*, ex monumentis docet PAGIUS Critica Boroniana. Plurima Clotarii gesta exposuimus in fratribus, ubi relegat, cui volupe est, scire. Reliqua præeunte TURONENSI strictim delibabimus. *Eo anno*, quo Theodualdus moritur, *(555) rebellantibus Saxonibus, Chlotarius Rex, commoto contra eos exercitu, maximam eorum partem delevit, pervagans totam Thoringiam ac devastans, pro eo quod Saxonibus suppetias tulissent*, cap. X. libri IV. *Sequenti anno coactus a suis contra Saxones movet, sed maxima internecione cæsus redit*; cap. 14. *Saxones --- de regione sua in Franciam venerant, & usque ad Nutiam*, (Duiz ex adverso Coloniæ Agrippinæ) *civitatem prædas egerant, nimiumque grande scelus perpetrati sunt*, cap. 16. Has expeditiones ita distribuit CONTINUATOR MARCELLINI COMITIS apud DUCHESNIUM T. I. pag. 219: *Quo ipso anno*, cum mortuus esset Theobaldus: & Clotharius XLIV annum regiminis ageret, *Hlotharius ipse Saxones rebellantes juxta Wiseram fluvium magna cæde domuit, & Thuringiam pervasam devastavit.* Superscripsit quidem, *Ind. I. P. C. Basilii XII*, at in Theodualdo docuimus, notam temporariam, *Ind. III. P. C. Basilii XIV* adjiciendum fuisse. CONTINUATOR habet porro. *Ind. III. P. C. Basilii XIV. Hoc tempore Saxones iterum Hlothario rebellantes, cum ab eo peterentur hostiliter --- magna ab eis cæde protritus fugæ præsidium petiit.* Clades inflicta Chlodoveo altero post obitum Theodualdi anno, ideoque 557, atque emendanda Ind. III. in V, annus post Consulatum Basilii XIV in XVI. Chlotarius porro, indice

GRE-

CHLOTARIUS I filius Chlodove
Monarcha omnium Francorum
Uxor 1) GUNDEUCA Chlodomeris
gorum filia, nata ante annum 516
monasterium a se conditum ingre
Ingundis soror. 5) CHUNSENA. 6)

3.	3.	3.	3.
GUNTHARIUS obiit ante patrem. *Pag. 56.*	CHILDERICUS obiit ante patrem. *Pag. 56.*	CHARIBERTUS nat. 519 Rex Parisiorum 561 Obiit 567. *Pag. 57.* Uxor 1) INGOBERGA nata 519 ducta - - - - dimissa - - - Obiit 589. 2) MEROFLEDIS. 3) MARCOVEFA, Lanarii filiæ. 4) THEODECHILDIS, Opilionis filia. Obiit monialis. *Pag. 58.*	GUNTCHRAMN ctus Rex Aurelian 28 Martii 593. *Pag.* Uxor 1) VENERA MARCATRUDIS Mi Ducis Francorum missa 565. Obiit 566 STREGILDIS Bobila ducta 566. Obiit 580 bris ultimis diebus.

1.			4.	1.	2.	3.
BERTHA Uxor Ethelberti Regis Cantii ante 557. Obiit post 596. *Pag. 59.*	BERTHEFLEDIS Monialis Turonis 589. *Pag. 61.*	CHRODIELDIS Monialis Pictavis 589. *Pag. 61.*	ANONYMUS. *Pag. 58.*	GUNDEBALDUS a Marcatrude veneno necata circa 565. *P. 64.*	FILIUS ante patrem mortuus. *Pag. 64.*	CLOTHARIUS n. 567 Obiit 577. *Pag. 64.*

THEODOBERTUS II natus Dec 585 Rex Suession
Rex Austrasiæ 596 Victus a fratre jussu aviæ Mon
inclusus occiditur 612. *Pag. 79.*
Uxor 1) BILICHILDIS a marito enecta 610. *Pag. 81*
2) THEUDECHILDIS. *Pag. 81.*

MEROVEUS jussu patrui ad petram elisus periit. *Pag. 82.*	CLOTHARIUS enectus instinctu pro aviæ. *Pag. 82.*	ANONYMA desponsa ADALV Longobardo 604 petita a PA in conjugium 612, nulli ol *Pag. 83.*

is b-

ex lis li- n- is.



GREGORIO, *Childeberto mortuo obtinet totam Galliam 558*, Cap. 20. *Rex vero Chlotarius anno quinquagesimo primo regni sui --- dum in Cotia silva venationem exerceret, a febre corripitur, & exinde Compendium*, Compiegne, *villam rediit, in qua --- spiritum exulavit. Quem quatuor filii sui cum magno honore Svessiones deferentes in basilica beati Medardi sepelierunt*, Cap. 21. Vide prolixius FORTUNATUM Presbyterum in Vita S. Medardi apud SURIUM T. III. & DUCHESNIUM T. I. pag. 547.

MARIUS AVENTICENSIS pag. 214: *Post Consulatum Basilii anno XX Indict. IX. Hoc anno Chlotacarius Rex mortuus est: & diviserunt Regnum ejus filii ipsius, id est, Charibertus, Guntegrammus, Hilpericus & Sigibertus.* Indictio IX orsa Kalend. Sept. 560 per annum 561 dilapsa ad Kalend. Septembris. Anno 511 27 Nov. suæ sortis Rex factus Chlodoveus per 50 integros annos & aliquot dies regnavit. Incidit itaque mors in annum 561 post Mensis Novembris diem 27, quod aliquantulum refragatur Mario, juxta cujus supputationem anno quinquagesimo Clotharium obiisse oportet. Quoniam vero omnes Clotharii ævo suppares post 50 completum oppetiisse scribunt, corrigenda apud Marium Indictio IX in decimam. Cæterum prona voluntate assentimur VALESIO T. I. l. 8. Decembrem mensem Clothario funestum asserenti.

Conjuges Clotarii I.

1) Gundeuca.

GREGORIUS TURONENSIS l. 3. cap. 6: Occiso Chlodomere *nec moratur Chlodarius uxorem Germani sui Guntheucam nomine sibi in matrimonium sociavit.* Uxorem hanc duxit 524 ætatis forsan viginti duorum plus minus annorum primam ne an alteram non constat. Primam declarare nolim, quod cæteros principes, ex ephebis vix egressos, animum ad rem uxoriam appulisse deprehendimus. Posthæc nullum ejus documentum vetus meminit, verosimile itaque, vel non ita longe post obiisse, vel thoro ejectam, cum nece cruenta afficeret ejus ex priore marito filios Clotharius.

2) Radegundis Thuringa.

GREGORIUS TURONENSIS l. 3 cap. 4: *Tunc apud Thoringos tres fratres regnum gentis illius retinebant : id est* BADERICUS, HERMINFREDUS *atque* BERTHARIUS. *Denique Herminfredus Bertharium fratrem suum vi opprimens, interfecit. Is moriens Radegundem filiam orphanam dereliquit : reliquit autem & alios filios, de quibus in sequentibus scribemus.* HERMINEFREDI *vero uxor iniqua atque crudelis* ALMABERGA a Theodorico Veronensi avunculo ipsi anno 500 elocata *nomine inter hos fratres bellum civile disseminat --- Ille* Herminfridus *permotus contra fratrem* Bertharium, majorem enim fratrem Baldericum insidiis Amalabergæ jam e medio sustulerat teste AIMOINO l. 2. cap. 9. *insurgit, ac per occultos nuncios Theodoricum regem ad eum persequendum invitat. Conjuncti --- confligentesque cum Balderico, exercitum ejus adterunt ipsumque obtruncant gladio :* Hæc acta anno 516. Capite septimo : *Theodoricus --- Clodarium fratrem suum in solatium suum evocat, & adversum Herminefredum regem Thoringorum ire disponit. --- Patrata ergo victoria regionem illam capessunt, & in suam redigunt potestatem. Chlotharius vero rediens,* RADEGUNDAM FILIAM BERTHARII *regis secum captivam abduxit, sibique eam in matrimonium sociavit. Cujus fratrem postea injuste per homines iniquos occidit. Illa quoque ad Deum conversa, mutata veste monasterium sibi intra Pictaviensem urbem construxit, quæ orationibus jejuniis atque eleemosynis prædita in tantum emicuit, ut magna in populis haberetur.* Devicti Thuringi anno 529 eoque Radegundis in thalamum a Clothario accita.

GREGORIUS TURONENSIS l. 9. cap. 1: *Igitur post mortem Leuvegildi Hispanorum Regis, Richaredus filius ejus fœdus init cum Geisintha relicta patris sui, eamque ut matrem suscipit ---* Cap. 2 : *Eo anno beatissima Radegundis ab hoc mundo migravit. Quæ magnum planctum in Monasterio quod constituerat dereliquit, fuique & ego præsens ad eam sepeliendam. Obiit autem mense sexto tertia decima die mensis, sepulta post triduum. Quæ autem ibi ipsa die virtutes apparuerunt, & qualiter fuerit funerata in Libro Miraculorum plenius scribere studui.* Fidem liberavit GREGORIUS in libro de gloria Confessorum, ubi cap. 106 fuse de transitu Reginæ egit, & præterea l. 1. cap. 5. de Miraculis. Mortem Leovegildi refert FREDEGARIUS cap. 6. in annum 27 Guntramni : Is successit patri anno 561, currebat itaque 27 annus 586 & 587. JOANNES ABBAS BICLARIENSIS anno V Mauritii assignat, qui ab 14 Augusti 586 ad eandem diem anni 587 volvebatur. Dies Radegundis obitualis dicitur GREGORIO

GORIO 13 sexti mensis, quo Augustum mensem indigitari sic probamus. Scribit GREGORIUS cap. 44. libri 9: *Eo anno --- arbores in autumno floruerunt, & poma sicut prius dederant, ediderunt. Mense nono rosæ adparuerunt.* Vel a Januario vel Martio vel Septembri enumerandus mensis nonus. Cum a Septembri inchoaveris, mirandam anni temperiem non intererat annotasse, quoniam sub calidiore climate vergente Majo mense rosas efflorescere facile contingit. Neque si a Kalendis Januariis repetieris nonum mensem. Nostro enim quoque frigidiore licet cœlo rosas Septembri mense producere, cuivis horticolæ licet. A Martio autem computatus nonus mensis, November, ros s nunquam spectandas præbet, nisi clementissima cœli temperies contra rerum mundanarum ordinem extorserit flores. Et hunc intelligendum esse mensem nonum, ipse indicat GREGORIUS, in autumno, qui declinante Septembri incipit, poma edita rosasque efflorescentes referens. Certum itaque, sextum mensem a Kalendis Martii repetitum juxta GREGORII calculum denotari Augustum, cujus die 13 sanctam vitam clausit Radegundis, & quidem anno 587, quod reliquæ notæ temporariæ pandunt. Leovegildus enim post 19 Augusti 586 terrena reliquit, eodemque anno quo iste obiit, & Radegundis 13 Augusti defuncta, ex quo alius ac annus 587 colligi nequit.

WULFINUS EPISCOPUS Vita S. Juliani apud DUCHESNIUM T. I. pag. 542: *Beatissima Radegundis nobilissima & orthodoxi viri Clotharii conjux ex partibus Germaniæ, transiens Ligeris fluvium, Aquitaniæ telluris accola esse cœpit --- Clotharius --- Thoringorum valde nobilissimam gentem sui Imperii ditionibus fecit esse subjectam --- hæc sanctissima puella Regis neptis, Brittharii filia capta est --- quam Rex nobiliter nutrire jussit. --- At ubi ventum est ad puellares annos --- Regis --- conjux effecta est. --- Non multo post tempore relicto regali thoro --- velaminis sacri cultum arripuit & --- Pictavis --- Monasterium condidit.* Confer quæ leguntur in VITA S. BATHILDIS Reginæ apud SURIUM & DUCHESNIUM T. I. pag. 668.

FORTUNATUS apud DUCHESNIUM T. I. pag. 511. Radegundem inducens loquentem sic canit:

Post patriæ cineres, & culmina lapsa parentum,
quæ hostili acie terra Toringa tulit. ---

Nam pater ante cadens & avunculus inde secutus,
Triste mihi vulnus fixit uterque parens.
Restiterat GERMANUS apex, sed sorte nefanda
Me pariter tumulo pressit arena suo.
Omnibus extinctis heu viscera dura dolentis;
qui super unus eras HAMALAFREDE jaces.
Sic Radegundis enim per tempora longa requiror,
Pertulit hac triste pagina nostra loqui.

\- - - - - - - -

\- - - - - - - -

Cur tamen hoc memorem tibi care ARTARCHIS alumne
fletibus atque meis addere flenda tuis.
Debueram potius solamina ferre parenti,
sed dolor extincti cogit amara loqui,
Non fuit ex longa consangvinitate propinquus,
Sed de fratre patris proximus ille parens.
Nam MIHI BERTHARIUS PATER, ILLI ERMENEFRDUS
Germanis geniti, nec sumus orbe pari.
Vel tu chare nepos (Artarchin alloquitur) *placidum mihi redde propinquum,*
Et sis amore meus quod fuit ille prius,
Meque Monasterio missis rogo sæpe requiras,
Ac vestro auxilio stet locus ille Deo, ---

VITA S. RADEGUNDIS Reginæ scripta a FORTUNATO Episcopo & a BANDOVINIA Moniali coæva Radegundi suppleta apud SURIUM ad 12 Augusti pag. 116. Libro I Fortunatus cap. 1 : *Beatissima, inquit, igitur RADEGUNDIS, natione barbara, de regione Turinga, avo Rege BASINO, patruo HERMINEFRIDO, patre Rege BERTHARIO --- barbarica Francorum victoria regione vastata --- veniens in sortem præcelsi Regis Clotharii in Veromandensem ducta --- Rex Svessionis cum eam direxisset, ut in Reginam eligeret, fugit --- Nubit ergo terreno principi nec tamen separatur a cælesti* --- Cap. 6 : --- *Et quoniam frequenter*

ter aliqua occasione, divinitate prosperante casus cedit ad salutem, ut hæc religiosius viveret; FRATER interficitur innocenter. Directa igitur a Rege veniens ad b. Medardum Noviomum supplicat instanter, ut ipsam mutata veste Domino consecraret. --- Ille --- consecravit diaconam. --- Cap. 7: *--- Hinc felici navigio Turones appulsa. ---* BANDOVINIA l. 2. cap, 4: *--- Id ubi ille cognovit --- Pictavis sibi monasterium construxit, Clothario Rege jubente, ut id fieret --- In illud monasterium sancta Regina --- ingressa --- Abbatissam constituit, & tam se ipsam quam omnia sua illius permittens potestati nihil sibi reservari voluit ---* Cap. 21: *Sed veniamus nunc ad ejus felicissimam a corpore emigrationem --- Quarta feria mane Idibus Augusti clausi sunt ejus oculi & nostri obscurati.*

Ex recitatis Coævorum testimoniis & PROCOPIO, JORNANDE & PAULO DIACONO, sequens Radegundis sanctæ colligitur stemma:

Bisinus, Rex Thuringiæ, cujus uxor Basina relicto marito, Childericum in Franciam secuta anno 465.

Badericus Rex Thuringiæ insidiis Amalebergæ sublatus.	Herminfridus Rex Thuringiæ occisis fratribus 517 Devictus atque occisus a Theodorico Francorum Rege 529. Uxor Amalaberga Gotha, soror Theodoberti Regis Italiæ circa 500 ducta.	Bertharius Rex Thuringiæ insidiis fratris peremtus 517. Conjux incognita.

Artarchis obiit in Francia.	Amalafridus Domesticus scholarum Justiniani Imperatoris.	Ulithæus occisus in bello Gothico.	Runicunda nupta Vachoni Regi Longobardorum.	Rodelinda Uxor Audoini Regis Longobardorum,	Hamalafredus occisus a Chlotario I.	Radegundis sancta, capta 529 &c.

Vitiges Rex Italiæ 536 dejectus 541. Uxor Mathasuentha Gotha.	Filia.

Uraja recusat regnum atque Ildibaldo procurat, a quo morte afficitur 541.

Reli-

Reliquæ Conjuges Clotharii I.

GREGORIUS TURONENSIS l. 4. cap. 3: *Chlotarius denique ipse Rex de diversis mulieribus septem filios habuit, id est de INGUNDE, Guntharium, Childericum, Charibertum, Guntchramnum, Sygilbertum & Chlotsindam filiam. De AREGUNDE vero sorore Ingundis Chilpericum. De CHUNSENA habuit Chramnum. Quæ autem causa fuerit, ut uxoris suæ sororem acciperet, dicam. Cum jam Ingundem in conjugio accepisset, & eam unico amore diligeret, suggestionem ab ea accepit, dicente: --- Precor ut sorori meæ servæ vestræ utilem atque habentem virum ordinare dignemini --- Quod ille audiens, cum esset nimium luxuriosus, in amorem Aregundis incenditur, & ad villam, in qua ipsa residebat, dirigit, eamque sibi in matrimonio sociavit. Qua accepta, ad Ingundem rediens ait: --- Noveris, quia eam conjugem accepi, quod tibi displicere non credo. At illa: Quod bonum, inquit, videtur in oculis domini mei, faciat, tantum ancilla tua cum gratia Regis vivat.* Ingundem amitam vel materteram Bertchramni Burdegalensis Episcopi fuisse, ex verbis Gunthcramni Regis pronum est concludere, quæ debellato Gundobaldo anno 585 referente TURONENSI l. 8. cap. 2 ad ipsum fecit: *Gratias*, inquit, *agimus, quod sic custodisti fidem generationi tuæ. Scire enim te oportuerat, dilectissime pater, quod parens eras nobis ex matre nostra, & super gentem tuam non debueras inducere pestem extraneam*, Gundobaldum nempe.

FREDEGARIUS EPITOME cap. 47: *Chlotarius de INGUNDE Guntharium, Childericum, Aribertum, Gunthramnum, Sighibertum, & Chlodesindam filiam habuit, de AREGUNDE*, Gestis Francorum Epitomatis cap. 27 audit *HEREGUNDE, sorore Ingundis Chilpericum, & de UNSINA*, Gestis cap. 27 dicta *GUNSINANE, habuit Chramnum.*

De Waldrada Theodualdi vidua, ultima Chlotarii Conjuge, jam supra egimus.

GUNTHARIUS & CHILDERICUS filii Clotharii, ex Ingunde.

Pergit GREGORIUS loco citato: *Guntharius vero atque Childericus vivente patre mortui sunt.* ANSELMUS pag. 5. nescio qua autoritate Childericum,

ricum, GREGORII in Childebertum commutavit. Guntharium ætatis 15 vel 16 annorum occubuisse, verosimile, quod anno 534 referente GREGORIO TURONENSI l. 4. cap. 3. jussu patris exercitum contra Visigothos duxerit.

CHARIBERTUS I.
filius Clotharii I. ex Ingunde.

GREGORIUS TURONENSIS l. 4. cap. 22.: *Chilpericus vero post patris funera --- Parisios --- occupat, sed --- conjuncti fratres ejus eum exinde expulere, & sic inter se hi quatuor, id est CHARIBERTUS, Guntchramnus, Chilpericus, atque Sygibertus, divisionem legitimam faciunt: deditque sors Chariberto regnum Childeberti, sedemque habere Parisios. ---*

FORTUNATUS Carmine IV libri VI in honorem Chariberti composito:

Dilige regnantem celsa Parisius arce,
Et cole tutorem, qui tibi prabet opem.
\- - - - - -
De Childeberto veteres compesce dolores,
Charibertus adest - -
Maxima progenies generosa luce coruscans,
\- - - - -
Illi (majores) *auxere armis patriam, sed sangvine fuso*
Tu plus acquiris, qui sine clade regis.
Ante alios fratres Regali germine natus
Ordine qui senior sic pietate prior.
Cum sis progenitus clara de gente Sicamber
floret in eloquio lingua Latina tuo.

Anno 567 fata subiisse ultima Charibertum sic demonstramus. Narrat GREGORIUS l. 4. cap. 40, *post mortem Chariberti, cum Chilpericus Turones ac*

ac Pictavos pervasisset, quæ Sygeberto regi per pactum in partem venerant, documenti satis, quod obiter noto, defuncti Chariberti relictum regnum inter superstites tres fratres æqua lance fuisse divisum, *conjunctum regem ipsum cum Guntchramno fratre suo Mummolum elegisse,* qui utramque urbem in ditionem redegit Sigeberti. Electus ergo Mummolus post Chariberti mortem. Electionis epocham prodit TURONENSIS L. 4. cap. 36: --- *Longobardis ascendentibus Eunius qui & Mummolus arcessitus a rege patritiatus culmen meruit. Irruentibus iterum Longobardis in Gallias --- Mummolus exercitum movet --- irruit super eos: multos interfecit, nonnullos cepit.* Cladem Longobardis inflictam MARIUS AVENTICENSIS refert in annum III Consulatus Augusti Justini Junioris, Indictionem secundam. Justinus fasces capessivit 15 Nov. 565. Indictio secunda incepit Kalend. Sept. 568. Victoriam itaque de Longobardis reportavit anno 569. Sed impressio hæc fuit altera Longobardorum, quam compescuit Mummolus, & vero i. dioe Turonensi electus fuit Mummolus, cum primum in Gallias irruerent Longobardi, quæ irruptio anteriori anno 568 facta esse debuit. Eo itaque anno jam mortuus fuit Charibertus. Non vero vivendo attigit annum 568. Celebratum est authoritate ejus Concilium Turonis ab Episcopis Chariberto subjectis *die XV Kalendis Decembris anno VI regni Domini Chariberti gloriosissimi Regis.* Subscripsit: *Prætextatus Episcopus Rothomagensis.* Rothomagum itaque paruit Childeberto. Sexti anni XV Kalend. Dec. Chariberti congruit 566. Sequenti anno 567 Chilpericum cum Galsvintha Rothomagi nuptias celebrantem videbimus infra: Judicium certissimum, Chilpericum ex hæreditate eo anno crevisse Rothomagum. Indeque indubium, Charibertum anno 567 vitam posuisse, fallique VALESIUM, ANSELMUM reliquos obitum anno 570 ejusque diei 7 Maji assignantes.

Uxores & liberi Chariberti.

GREGORIUS TURONENSIS L. 4. cap. 26: *Porro Haribertus rex INGOBERGAM accepit uxorem, de qua filiam habuit, quæ postea Ingvantia* in Cantiam *virum accipiens est deducta. Habebat tum temporis Ingoberga in servitium suum duas puellas pauperis cujusdam filias, quarum prima vocabatur MARCOVEFA, religiosam vestem habens, alia vero MEROFLEDIS, in quarum amore rex valde detinebatur, erant enim, ut diximus artificis lanarii filiæ. Æmula ex hoc Ingoberga, quod a Rege diligerentur, patrem earum secretius operari fecit, futurum, ut dum hæc Rex cerneret, odio filias ejus haberet, quo operante vocavit Regem. Ille autem sperans aliquid novi videre,*

videre, aspicit hunc geminus lascias regias componentem: quod videns commotus in ira reliquit Ingobergam, & Merofledem accepit. Habuit & aliam puellam opilionis filiam nomine THEODOGILDEM, *de qua & fertur* FILIUM HABUISSE, *qui ut processit ex alvo, protinus delatus est ad sepulchrum. --- Post hæc Marcovei Famorofletis scilicet sororem conjugio copulavit. Pro qua causa a Sancto Germano Episcopo excommunicatus uterque est. Sed cum eam Rex relinquere nollet, percussa judicio Dei obiit. Nec multo post & ipse Rex post eam discessit Charibertus: cujus post obitum Theodogildis una reginarum, ejus nuncios ad Guntchramnum regem dirigit, se ultro offerens matrimonio ejus. Quibus Rex hoc reddidit in responsis: Accedere ad me ei non pigeat cum thesauris suis --- At illa gavisa collectis omnibus, ad eum profecta est. Rex --- ablatis multis, paucis relictis, Arelatensi eam monasterio destinavit. Hæc vero ægre acquiescens --- Gothum quendam adivit, promittens, si se in Hispanias deductam conjugio copularet, quod --- eum sequeretur. Quod ille nihil dubitans, repromisit. Cumque --- a cœnobio pararet egredi, anticipavit voluntatem ejus industria Abbatissæ. deprehensaque fraude, eam graviter cæsam custodiæ mancipare præcepit, in qua usque ad exitum vitæ præsentis, non mediocribus adtrita passionibus, perduravit.*

EPITOMATA GESTA cap. 30: *Rex nimis iratus Ingobergam reliquit, Merofledem accepit uxorem. Post hæc quoque Marcovefa sororem ejus ad conjugium copulavit: pro qua causa a S. Germano Parisiorum Episcopo excommunicatus uterque est. Sed cum rex relinquere nollet, percussa judicio Dei mortua est.*

AIMOINUS L. 3. cap. 2: *Cherebertus, qui & Aribertus rex Parrhisiorum Ingobergam duxit uxorem, huic erant ancillulæ duæ, nomen uni Marcovefa, altera vocabatur Merofidis. Harum amore rex ita deperire cœpit, ut uxorem ejiceret Ingobergam, & eas ambas in locum ejus substitueret. Pro qua re a beato Germano præfatæ urbis Episcopo increpatur, nec correptus utrasque cum filio, quem ei una earum genuerat, divinitus percussas se perdidisse indoluit. Ipse quoque non multum post temporis in Aquitania apud castrum Blavia vitæ finem sortitus, in Basilica sancti Romani est sepultus.*

BERTHA
filia Chariberti ex Ingoberga.

GREGORIUS TURONENSIS L. 9. cap. 26: *Anno quoque quarto decimo Childeberti Regis, Ingoberga Regina Chariberti quondam relicta: migravit a seculo --- septuagesimo, ut arbitror, vitæ anno, relinquens* FILIAM UNICAM, *quam in* CANTIA *Regis cujusdam filius matrimonio copulavit.* Childeberti annus XIV idem est,

 qui

qui æræ Dionysianæ 589, quo ſeptuagenariam defunctam Ingobergam anno 519 natam oportet aliquot annis natu majorem marito Chariberto.

BEDA HISTOR. ECCLES. L. 1. cap. 25. pag. 163. ed. Commel. de converſa per Auguſtinum gente Anglica ad fidem Chriſtianam deque Ethelberto Rege agens, *Erat eo tempore,* inquit, *Rex Edilbertus in Cantia potentiſſimus --- Antea fama ad eum Chriſtianæ religionis pervenerat, utpote, qui & uxorem habebat Chriſtianam de* GENTE FRANCORUM REGIS, *nomine* BERTAM, *quam ea conditione a parentibus acceperat, ut ritum fidei ac religionis ſuæ cum Epiſcopo, quem ei adjutorem fidei dederant, nomine Luidhardo, inviolatam ſervare licentiam haberet.* Cap. 27: *Erat autem prope ipſam civitatem* Cantebrigam *ad Orientem eccleſia in honorem S. Martini antiquitus facta, dum adhuc Romani Britanniam incolerent, in qua regina, quam Chriſtianam fuiſſe prædiximus, orare conſuerat. In hac ergo --- ipſe* Rex *--- baptizatus eſt.* In RECAPITULATIONE pag. 278 notam addidit temporariam BEDA: *Anno DXCVI Gregorius Papa miſit Britanniam Auguſtinum cum Monachis, qui verbum Dei genti Anglorum evangelizarent.* Libro II cap. 4 pag. 279: *Anno ab Inc. Dom ſexcenteſimo decimo tertio --- Edilbertus Rex Cantuariorum poſt regnum temporale, quod quinquaginta & ſex annis glorioſiſſime tenuerat æterna cœleſtis regni gaudia ſubiit.* In recapitulatione vero habet: *Anno DCXVI Edilbertus Rex Cantuariis defunctus eſt.* Faſces itaque regni capeſſivit anno 557 vel 561, quo anno jam teſte GREGORIO Bertam duxerat. Berta maritum morte prævertit. Rexque aliam duxit ipſius fatis ſuperſtitem, cum qua privignus inceſtum commiſit. BEDA l. 2. cap 5: *At vero poſt mortem Edilberti, cum filius ejus Eadbaldus regni gubernacula ſuſcepiſſet, magno tenellis adhuc ibi Eccleſiæ crementis detrimento fuit. Siquidem non ſolum Chriſti fidem recipere noluerat, ſed & fornicatione pollutus eſt tali, qualem nec inter gentes auditam Apoſtolus teſtatur, ita ut uxorem patris haberet.* Non me latet pleroſque hanc interpretari Bertam Francicam, qui quidem lapſus nulla refutatione indiget. Qui enim potuerit fieri, ut filius juvenis amore matris ultra ſeptuageſimum vitæ annum agentis amore caperetur, quo inceſto ſe pollueret. Probabimus ſuo loco, Clotharii II filiam Emmam elocatam fuiſſe Eadbaldo, filio Etelberti. Hæc vero per rationem annorum omnino thalamo Ethelberti excludenda. Clotharius II natus 584 genuit annis 600, 601, 602, filios ex Haltetrude & ſequenti anno quodam Emmam filiam, quam ſi Ethelbertum vel animam agentem duxiſſe opineris, vix decimum vel duodecimum attigerit ætatis annum, quæ certe ætas ex conditione humana matrimonio impar. In propatulo itaque eſt, Eadbaldum alia ac Francica gente proſatam a morte patris in matrimonium ſumſiſſe novercam,

cam, eaque vel repudiata vel defuncta Emmam Francicam sibi conjugem expetiisse.

Clarissimam Assertionibus nostris lucem affundit Scriptor seculi XIV, WILHELMUS THORNE cap. 2 Chronicæ § 1 pag. 1767: *Anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo XIII b. Laurentius archiepiscopus ab Hiberniensium & Scottorum prædicatione regressus consecravit Ecclesiam* Cantabrigæ *istam præsente Rege Ethelberto cum constiis turbis & sanctum corpus Augustini in Ecclesiam introduxit consecratam, atque in porticu aquilonali ut prædictum est sepelivit. Corpus vero S. Letardi & Bertæ reginæ in porticu sepelivit S. Martini, ista enim duo corpora extra ecclesiam primo fuerant sepulta, eo quod tempore obitus eorum, ecclesia non fuerat consecrata* [et] in Bertam vivo marito sepultam. *Et nota quod ista BERTA FUIT FILIA AUBERTI* (Chariberti) *Regis Parisiorum, qui fuit pronepos Clodovei regis Francorum primi Christiani.* Verbis postea Bedæ jam recitatis enarrat mortem Ethelberti, successionemque Eadbaldi, incestuosumque ejus cum Noverca conjugium, *divina*, pergit, *dispensatione atque Laurentii archiepiscopi assidua prædicatione --- idem rex omnino ydololatriæ cultu relicto abdicatoque connubio illegitimo --- fidem Christi recepit.* Rejecit itaque novercam, quæ ideo Francica princeps fuisse nequit, quod eam denique 632 defunctam asserat idem Thorne, loco infra describendo.

BERTHEFLEDIS
filia Chariberti.

GREGORIUS TURONENSIS l. 9. cap. 33: *His diebus* (anni 589) *Ingeltrudis, quæ Monasterium in atrio Sancti Martini* Turonis *statuerat, ad Regem quasi filiam accusatura processit: in quo monasterio BERTHEFLEDIS filia quondam Chariberti Regis residebat. Sed ista egrediente, hæc in Cunomannicum est regressa. Erat enim gulæ & somno dedita, & nullam de officio Dei curam habens.*

CHRODIELDIS
filia Chariberti.

GREGORIUS l. 9. cap. 39: *In monasterio vero Pictaviensi* Sanctæ Crucis *instigante Diabolo in corde CHRODIELDIS, quæ se Chariberti quondam regis filiam adserebat, orto scandalo, ipsa quoque quasi de parentibus confisa regibus, exactis sacramen-*

tis a sanctimonialibus, ut injectis in Abbatissam Leuboveram criminibus, ea monasterio dejecta, ipsam substituerent principalem. Egressaque est cum quadraginta & eo amplius puellis, & consobrina sua BASINA filia Chilperici. --- Turbas tum vehementissimas civit, quas fusius exponit Libro 9 cap. 40. 41. 42. 43. & Libro 10 cap. 15. 16. 17. GREGORIUS, capite vigesimo denique addens: *In hac Synodo Basina Chilperici regis filia, quam supra cum Chrodielde a communione remotam diximus, coram Episcopo solo prostrata veniam petiit. promittens se cum charitate Abbatissæ monasterium ingredi, ac de regula nihil transcendere. Chrodieldis autem obtestata est, quod Leobovera Abbatissa in hoc monasterio commorante, ibidem nunquam ingrederetur. Sed utrisque Rex* Childebertus *veniam impertiri deprecatus est: & sic in communionem receptæ, Pictavos regredi jussæ sunt, scilicet ut Basina in monasterium, ut præfati sumus, regrederetur: Chrodieldis vero in villa, quæ quondam Waddonis* Comitis *fuerat, sibi a Rege concessa resideret.*

GUNTRAMNUS REX, filius Clotarii I. ex Ingunde.

GESTA EPITOMATA cap. 27: *Chlotarius quoque Rex de diversis mulieribus septem filios habuit, id est de Ingunde Guntharium, Hildericum, Heribertum, GUNTRAMNUM, Sigibertum & Rothsindam filiam.* GREGORII ipsius & FREDEGARII verba jam supra recitavimus.

GREGORIUS TURONENSIS L. 4. cap. 22: --- *deditque sors --- Guntchramno regnum Chlodomeris, ac tenere sedem Aurelianensem.* Cap. 30: *Sygibertus vero rex Arelatensem urbem capere cupiens, Arvernos commoveri præcepit --- Guntchramnus rex Celsum patritium cum exercitu illuc dirigit, qui abiens Avennicam urbem abstulit. --- At sic Guntchramnus rex recepta urbe illa* Arelatensi, *juxta consuetudinem bonitatis suæ, Avennicam ditionibus fratris sui restituit (anno 566.)* Longobardos per Mummolum a finibus Galliæ prohibet cap. 36. 37. Vide supra in Chariberto. *Bello civili* ob hæreditatem Chariberti (ex qua ipsi docente pacto Andelaensi apud TURONENSEM l. 9. cap. 20 *tertia pars civitatis Parisiensis cum castellis Duno & Vindocino & quicquid de pago Stampensi vel Carnetino in pervio illo antefatus Rex cum terminis & populo suo perceperat,* obvenit.) inter fratres exorso Sigeberto adhæret 574. cap. 44. 45. Childebertum adoptat filium 577, l. 5. cap. 18. *Anno --- qui fuit decimus octavus Guntchramni (579) --- apud Cavillonum Synodus acta est ex jussione Regis Guntchramni,* Cap. 28. *Anno sexto regni sui Childebertus Rex relicta pace Guntchramni regis cum Chilperico*

rico conjunctus est 580, l. 6. cap. 1, *tum Chilpericus ejus urbes invadit*, 583, l. 3. cap. 31. *Pacem cum Childeberto init* 584, Cap. 41. *Mortuo Chilperico Clotharium II in tutelam suscipit, integrumque Chariberti regnum sibi subjicit* 584, l. 7. cap. 56. *hinc bellum civile* 584, 585, libro 7. *Cum Childeberto pace facta contra Gundobaldum, Clotharii I creditum filium movet* 585, libro 7. cap. 33. *Ingundem neptem ulturus Septimaniam ingreditur* 586, l. 8. cap. 30. *Legati Hispaniæ pacem petitam obtinent* 587, cap. 35. *Reconciliatur penitus cum Childeberto adoptato*, 587, l. 9. cap. 11. *Infaustam suscipit in Septimaniam, quæ Gothis Hispanis parebat, expeditionem*, 589, cap. 31. *Contra Britannos Armoricos mittit exercitum infelici progressu* 590, l. 10. cap. 9.

GESTA FRANCORUM EPITOMATA cap. 35: *Eo quoque tempore mortuus est bonæ memoriæ Guntramnus rex inclitus, frater Chilperici Cavelone civitate Burgundiæ in Basilica S. Marcelli martyris sepultus. Regnavit autem annos XXXI.* Curatius FREDEGARIUS Chronico cap. 14. *Anno XXXIII regni Guntbramni. Eo anno V Kalend. Aprilis ipse Rex moritur, sepultus est in ecclesia sancti Marcelli in monasterio, quem ipse construxerat. Regnum ejusdem Childebertus adsumsit.*

AIMOINUS l. 3. cap. 81: *Anno XXXIII ejusdem regis, ipse Rex corpore exemtus ... in ecclesia S. Marcelli Cabilonis sepultus est.*

Trigesimus tertius Guntchramni annus incidit in annum 593, cujus *V Kalend. Aprilis* vivere desiit.

CONJUGES
& liberi Guntchramni.

GREGORIUS TURONENSIS L. 4. cap. 25: *Guntchramnus autem Rex bonus primo VENERANDAM cujusdam suorum ancillam, pro concubina thoro subjunxit, de qua GUNDOBALDUM filium suscepit. Postea vero MARCATRUDEM filiam Magnarii in matrimonium accepit. Gundobaldum vero filium suum Aurelianis transmisit. Æmula autem Marcatrudis, post habitum filium, in hujus mortem grassatur, & transmissum, ut ajunt, venenum in potum ei dari curavit. Quo mortuo ipsa judicio Dei filium suum, quem habebat, perdidit, & odium Regis incurrit, dimissaque ab eodem non multo post tempore mortua est. Post quam Rex AUSTRIGILDEM cognomento BOBILAM accepit, de qua iterum duos filios habuit, quorum senior CHLOTHARIUS, junior CHLODOMERES dicebatur.*

FRE-

FREDEGARIUS L. 1. cap. 36: *Ut Marchytrudis dimitteretur, hæc fuit occasio. Mater ejus post mortem Magnacharii de vilibus hominibus unum ex nutritu Magnacharii acceperat maritum, quæ instigantibus Guntione & Wiotico filiis ab eodem mater jussu Guntramni separatur, & ipse puer occiditur, clamantibus filiis negligenter matrem herbariam* (Sagam) *& meretricem. Hac occasione filiam ejecit de regno.*

MARIUS AVENTICENSIS pag. 115: *P. C. Basilii anno XXIV Ind XIII* hoc est 565. *Eo anno transit Magnacarius Dux Francorum --- Anno II Conf. Tiberii Constantini Augusti Ind. XIV. Ea Indictione mense Septembri Austregildis Regina obiit, propter cujus transitum interfecti sunt duo Medici Nicolaus & Donatus.*

TURONENSIS L. 3. cap. 20: *Tunc quoque,* anno nempe 577, *Guntramnus Rex Francorum duos Magnacharii soceri filios quondam sui, interemit, facultates eorum fisco subjicens, dehinc subsecuta mors duorum filiorum ipsius est.*

GREGORIUS TURONENSIS Libro V. cap. 36: *His diebus,* anno nempe quinto Childeberti, *Austrigildis Guntchramni principis regina ab hoc morbo* lue scilicet inguinaria sive peste Galliam tunc depopulante *consumpta est: sed priusquam nequam spiritum exhalaret --- fertur --- regem petiisse dicens: Adhuc spes vivendi fuerat, si non inter iniquorum manus interiissem, nam potiones ab illis acceptæ, mihi vi abstulerunt vitam --- & ideo --- quæso --- ut cum ab hac luce discessero, statim ipsi gladio trucidentur. --- Hæc effata, infelicem animam tradidit. Rex vero --- duos medicos, qui ei studium adhibuerant, gladio feriri præcepit.*

Epitaphium Austregildis Reginæ apud DUCHESNIUM T. I, pag. 517:

Conditur hic Regum genetrix & Regia conjux,

\- - - - - - - -

AUSTREGILDE potens Regis decus - -

\- - - - *cui pulchrior ætas*

Ter denos tribuens geminos superaddidit annos.

\- - - - - - - -

Epitaphium Chlodomeris filii Guntchramni Regis pag. 518:

Chlodo-

Chlodomeres enim excellens Regia proles

\- - - - - - -

Hunc rapuit mox sæva dies cum QUARTA tumescens
densaret gelidas horrida BRUMA nives.

Epitaphium Chlotarii fratris Chlodomeris pag. 518:

Jungitur hic tumulo fratris germanus & almo
dulcia consocians tradidit ossa loco,
Ut cælo reddens animam, sic membra sepulcro
FLOTHARIUS magni nomine dictus avi.
Abstulit hunc DECIMUS mundanis cursibus ANNUS,

\- - - - - -

MARIUS AVENTICENSIS pag. 216: *Anno XI Cons. Justini Jun. Aug: Ind. X. Eo anno mortui sunt regii atque egregii adolescentes Chlotacarius & Chlodomeres filii Gunthegramni Regis.*

Justinus II solium Byzantinum conscendit die 13 Nov. 565, undecimus igitur ejus annus labitur a 13 Nov. 576 ad 13 Nov. 577, Indictio X a Kalend. Sept. 576 ad Kalend. Sept. 577 currebat. Orbatus igitur pater prole bina anno 577, quorum Clotacharius anno 567, Chlodomeres 571 materno utero exclusi. Austregildis mortua refertur a MARIO anno II Tiberii Indict. XIV. Tiberius rerum potiebatur 26 Sept. 578, annus itaque secundus ejus exordium sumsit 26 Sept. 580. Indictio XIV ejusdem anni 580 Kalendis Septembribus exorsa claudebatur ultimo Augusti anno 581. Fatalia hinc passa Austrigildis Septembri mense 580, diebus ultimis, qui inter 26 atque 30 continebantur. Consonat annus Childeberti V qui ab anno 575 numeratus annum 580 producit. In Epitaphio triginta duos annos nata, cum moreretur, audit. Ergo in lucem edita 548, ætatisque decimo octavo Gunthramno nupsit anno 566. Concludimus porro Marcatrudem ipso patris Magnacarii anno obituali 565 ob necatum veneno Gundebaldum Guntramni ex Veneranda susceptum gnatum thoro regio dejectam, postquam partum suum amiserat, atque sequenti forsan anno mœrore sibi mortem consciviſſe. His ita demonstratis supersunt

CHLODEBERGIS & CHLODEHILDIS
filiæ Guntehramni ex ignota Conjuge.

ACTA SYNODI VALENTINÆ in Actis Antwerp. 18 Martii pag. 720: *Cum in urbe Valentina juxta imperium gloriosissimi Gunthramni Regis nostra mediocritas pro diversis pauperum quærimoniis convenisset: id primo auctore Deo decrevimus sanciendum, quod pro salute Regis & animæ suæ salvatione vel religionis statu censuimus opportunum. Id est, ut quia prædictus Rex per virum illustrem Asclepiodotum Referendarium datis ad sanctam Synodum epistolis suis injunxit, ut quodcunque tam ipse quam bonæ memoriæ jugalis sua Austrechildis Regina vel filiæ eorum Deo sacratæ puellæ, id est bonæ memoriæ* CLODEBERGIS *vel* CLODEHILDIS *locis sanctis contulissent, vel adhuc conferre decreverint, autoritate Apostolica deberet sancta Synodus præsenti titulo manuum suarum subscriptione firmare*: Celebrata Synodus Indict. II die X Kalend. Junii. Subscripserunt *Sapaudus Arelatensis, Evantius Viennensis* --- Hos anno IX Childeberti defunctos testatur TURONENSIS l. 8. cap. 39, ideoque 584. Indictio II post mortem Austrechildis currebat anno 583 & 584. Unde patet eo tempore Chlodobergam jam defunctam fuisse, superstitem vero Clodechildam.

PACTUM ANDELAENSE inter Gunthramnum & Childebertum anno 587 initum apud TURONENSEM l. 9. cap. 20: *Illud specialiter placuit per omnia inviolabiter conservari, ut quicquid dominus Guntchramnus Rex filiæ suæ* CHLOTILDI *contulit, aut adhuc Deo propitiante contulerit, in omnibus rebus atque corporibus tam in civitatibus, quam agris vel reditibus in jure & dominatione ipsius debeant permanere* --- Omissa Chlodebergis. Documentum, eam isto tempore jam ad plures abiisse.

CHLOTESINDIS
filia Clotharii ex Ingunde.

GREGORIUS TURONENSIS L. IV. cap. 3: *Chlotarius --- Rex habuit --- de Ingunde --- &* CHLOTSINDAM *filiam. --- Alboinus quoque rex Longobardorum, Chlotsindam filiam Regis accepit.* Et cap. 35, unde sua hausit AIMOINUS l. 3. cap. 17. --- *Apud Longobardos Alboinus regnabat. --- Huic fuit nupta* CLOTSINDA, *Clotharii Francorum regis filia. Qua defuncta Rosemundam Chunimundi*

nimundi Gepidarum regis natam accepit conjugem, cujus ipse dudum interfecerat patrem a qua cum tribus & eo amplius annis in Italia super Longobardos regnasset --- interemptus est. Cædes Alboini incidit in annum 572. Italiam itaque ingressus 568, quo etiam Rosimundam duxit. Obiit ergo Clotesindis vel ipso vel præcedenti anno 567.

NICETIUS epistola *Dominæ clementissimæ in Christo filiæ Chlodosuindæ Reginæ* missa eo fine, ut Alboinum ex Arrirno in Orthodoxum converteret apud DUCHESNIUM T. I. pag. 853 & FREHERUM pag. 190: *Cum legatos vestros per Francorum Reges germanos tuos ire conspicimus, de prosperitate vestra solliciti sumus --- Gaudemus ex hoc, gaudere nos Christus faciat de Alboino Rege quem habes, & de felicitate sua triumphare --- Te Domina Chlodosuinda --- conjuro, ut hanc epistolam & bene legas --- Audisti ab avia tua domina bonæ memoriæ Rodhildis, qualiter in Francia venerit, quomodo dominum Chlodovæum ad legem catholicam adduxerit, & cum esset homo astutissimus, noluit acquiescere antequam vera agnosceret.*

PAULUS DIACONUS l. 1. cap. 27: *Mortuus itaque est Audoin, ac deinde Regum jam decimus Alboin, ad regendam patriam, cunctorum votis accessit. Qui cum famosissimum & viribus clarum ubique nomen haberet, Chlotharius Rex Francorum, CHLOTSUINDAM ei suam filiam in matrimonium sociavit, de qua unam tantum filiam Alpsuindam nomine genuit. --- Alboin Cunimundum* Regem Gepidarum *occidit, --- cujus filiam nomine Rosimundam --- duxit captivam. Quam, quia Clotsuinda obierat, in suam, ut postea patuit, perniciem duxit uxorem.*

SIGEBERTUS I. Rex
filius Clotharii I. ex Ingunde.

GREGORIUS TURONENSIS L. 4. cap. 22: *--- deditque sors --- Sygiberto regnum Theodorici, sedemque habere Remensem.* Eadem EPITOMATOR cap. 29. FREDEGARIUS cap. 55: *Dedit sors --- Sighiberto quoque regnum Theuderici, sedem habens Mettis.* GREGORIUS cap. 23 *post mortem Chlotarii regis Chuni Gallias adpetunt --- quos Sygibertus --- vicit atque fugavit --- Dum autem cum eis turbatus esset Sygibertus, Chilpericus frater ejus Remos pervadit, & alias civitates, quæ ad eum pertinebant, abstulit --- Rediens autem Sygibertus victor a Chunis Suessionas Civitatem occupat --- contra Chilpericum bellum commovit: quo victo atque fugato civitates suas in suam dominationem restituit.* PAULUS DIACONUS l. 2. cap. 10: *Comperta Hunni, qui & Avares, morte Chlotarii Regis super Sigisbertum*

ejus filium irruunt. Quibus ille in Thuringia occurrens eos juxta Albim fluvium potentissime superavit, eisdemque petentibus pacem dedit. ECCARDUS Wurzburgicis pag. 93 ex FORTUNATI Carmine in Sigibertum evicit, Danos, Saxones, atque Thuringos cum Hunnis conjunctos a Sigeberto ad Bordaam fluvium Frisiæ cæsos fuisse, & quidem anno 562. Anno 566 *Chuni iterum in Gallias venire conabantur,* quos devictus & *inclusus a Chunis* Sigebertus *superavit arte donandi,* Cap. 29. *Sygibertus vero Rex Arelatensem urbem capere cupiens* eam obsidere jubet, *Guntchramnus* per *Celsum patricium --- Avennicam urbem abstulit.* Inita pace Arelatum mansit Gunthramno, Avenio reddita Sigeberto 566 an 567, Cap. 30. *Legatos ad Justinum Imperatorem misit 567,* Cap. 33. Chariberto fratre eodem anno mortuo, crevit juxta pactum Andelaense apud TURONENSEM L. 9. cap. 20. *tertiam partem urbis Parisiorum, civitates Meldonenses, & duas portiones de Sylvanectis, Turonos, Pictavos, Abrincatas, vicum Julienfem cum Sorannis, Lapurdo & Albige.* Hinc bellum civile cum Chilperico per totum vitæ spatium, GREGORIUS cap. 34 ad finem. Anno 575 auxiliares Byzantino Imperatori misit contra Persas. Ex EVAGRIO, atque JOANNE BICLARIENS, ECCARDUS pag. 103.

VITA S. CONSORTIÆ apud DUCHESNIUM T. I. pag. 550: *Mortuo Rege Chlotario missus est unus ex primoribus Palatii Hecca nomine a Sigeberto, qui patri suo in regnum successerat, ut Provinciam Massiliæ disponeret.*

JONAS Vita S. Columbani apud SURIUM T. 6. cap. 6: *Pervenit inter hæc fama b. viri Columbani in Aulam Sigeberti Regis, qui illo tempore duobus regnis Austrasiorum & Burgundionum inclytus apud Francos rerum potiebatur ---*

GREGORIUS TURONENSIS l. 4. cap. 46: *Chilpericus vero cognoscens, quod iterum se Gunteramnus cum Sygiberto pacificasset, se infra Tornacenses muros cum uxore & filiis suis communivit --- Sygibertus vero obtentis civitatibus illis, quæ citra Parisios sunt positæ, --- Parisios est ingressus, ibique ad eum Brunechildis cum filiis venit. Tunc Franci, qui quondam ad Childebertum aspexerant seniorem, ad Sygibertum legationem mittunt, ut ad eos veniens derelicto Chilperico, super se ipsum regem stabilirent. Ille vero hæc audiens, misit, qui fratrem suum in supra memorata civitate obsiderent --- Veniente autem illo ad villam, cui nomen est Victoriacum, collectus est ad eum omnis exercitus, impositoque super clypeo, sibi Regem statuunt. Tunc duo pueri cum cultris validis, quos vulgo Scramasaxos* (Schramme significat vulnus, Sax cultrum) *infectis veneno, maleficati a Fredegunde regina, cum aliam causam se gerere simularent, utraque ei latera feriunt. At ille vociferans atque corruens, non multo post spatio*

ſpatio emiſit ſpiritum --- Chilpericus autem audito *fratris obitu --- egreſſus a Tornaco cum uxore & filiis, eum veſtitum apud Lambres* haud procul Duaco ad Scarpum amnem, *vicum ſepelivit. Unde poſtea Sveſſionas in baſilica ſancti Medardi, quam ipſe ædificaverat, translatus, ſecus Clotharium patrem ſuum ſepultus eſt,* (quod etiam probat FORTUNATUS Presbyter in Vita S. Medardi apud SURIUM T. III. & DUCHESNIUM T. I. pag. 547.) *Obiit autem quarto decimo regni ſui anno ætate quadragenaria. A tranſitu ergo Theodoberti ſenioris uſque ad exitum Sygiberti, ſupputantur anni XXIX. Inter exitum vero ejus & nepotis ſui Theodoberti fuere dies XVIII.* Eadem totidem verbis repetunt EPITOMATOR GREGORII cap. 32. FREDEGARIUS Chronico cap. 72. & 73. atque AIMOINUS l. 3. cap. 12.

MARIUS AVENTICENSIS pag. 215 : *Anno X Conſ. Juſtini Junioris Auguſti Indictione IX. Hoc anno Sigibertus Rex Francorum bellum contra fratrem ſuum Hilpericum movet : & cum eum jam incluſum Tornaci haberet, & de ejus interfectione cogitaret, ab hominibus Chilperici per fraudem interfectus eſt, & ſuſcepit regnum ejus Childebertus filius ipſius.*

Decimus quartus Sigeberti annus, ex quo 561 regnare cœpit, incidit in annum 575. Annus Juſtini decimus a 13 Nov. 575, & Indictio IX a Kalendis Septembribus 575 currebant. Parricidio itaque interiit anno 575 vel Novembri vel Decembri menſe. Ultimo ſuffragatur evectio Childeberti die 25 Decembr. celebrata. Epocha vero a tranſitu Theodeberti I deducta non æque quadrat. Theodebertus obiit anno 548, quibus adjuncti 29 anni, cum etiam annum 548 primum judicaveris, efficiunt 576, qui reliquo Characteri Chronico repugnat. DUCHESNIUS in margine pag. 325 obſervat, in quibusdam Manuſcripris legi annum XXVIII, qui ſuppoſito 548 primo anno tranſitus annum 575 exacte produnt. Quadragenarius occubuit, facillimus hinc repertu nativitatis ejus annus 535.

BRUNECHILDIS
Conjux Sigiberti Regis.

FORTUNATUS libro ſexto Carmine primo in Sigebertum pag. 486 :

VERE NOVO tellus fuerit dum exuta pruinis

\- - - - - - -

Conjugio Regis gens ſua vota videt.

Carmine ſecundo pag. 487:

- - Sigibertus amans BRUNICHILDÆ carpitur igne,
- - - - - - - Qvis crederet autem,
HISPANAM tibimet DOMNAM Germania naſci,
quæ duo regna jugo precioſa connexuit uno
- - - - - - - -
Nobilitas excelſa nitet genus ATHANAGILDI,
Longius extremo Regno qui porrigit Orbi.
Dives opum, quas mundus habet, populumque gubernat
Hiſpanum ſub jure ſuo pietate canenda.

Sicut ex primo carmine patet, nuptias celebratas eſſe ineunte vere, Martio forſan menſe, quo Malli publici habebantur, ſic ex altero carmine concludit ECCARDUS Wurzburg. Alhanagildem genero, quod maſcula prole orbus viveret, ſpem feciſſe adipiſcendi aliquando Regni Hiſpanici. At cuivis intuenti verba FORTUNATI perſpicuum fit, *jugum quo bina regna connexa*, non niſi interpretandum amicitiæ contractæ. Annum haud obſcure indicat TURONENSIS Libro IV. cap. 27: *Porro Sygebertus Rex cum videret, quod fratres ejus indignas ſibimet uxores acciperent --- legationem in Hiſpaniam mittit, & cum multis muneribus BRUNICHILDEM Atanagildi regis filiam petiit. --- Qvam pater ejus non denegans, cum magnis theſauris antedicto regi tranſmiſit. Ille vero congregatis ſenioribus ſecum, præparatis epulis, cum immenſa lætitia atque jocunditate eam accepit uxorem. Et quia Arrianæ legi ſubjecta erat, per prædicationem Sacerdotum atque ipſius Regis commonitionem converſa, beatam in unitate confeſſa Trinitatem credidit, atque chriſmata eſt.* Enarraverat antea Auſtregildis cum Guntramno initum conjugium, refertque ſequenti capite Chunorum in Gallias irruptionem alteram. Illud celebratum anno 565, hæc anno 566 turbavit Gallias. Conſequitur inde Brunechildem Martio menſe 566 in thalamum regis ſuſceptam.

FREDE-

FREDEGARIUS Epitome cap. 57: *Porro Sighibertus cum videret fratres suos uxores viles accipere, Gogonem causa legationis ad Anagyldum regem direxit, petens, ut ei filiam suam BRUNAM nomine conjugio traderet. Quam Anagyldus cum multis thesauris Sigiberto ad matrimonium transmisit. Ad nomen ejus ornandum & augendum, est determinatum, ut vocaretur BRUNECHILDIS, quam cum multa lætitia atque jocunditate Sighibertus accepit uxorem.*

GREGORIUS L. 3. cap 14: *Interfecto autem hoc modo Sygeberto --- Brunichildis --- a superveniente Chilperico Rothomagum in exilium traditur. Thesauri ejus opibus Chilperici sociati, filiæ Meldis ad custodiendum missæ sunt.* Cap. 15: *MEROVEUS missus a patre Chilperico - - Rothomagum transiens ad BRUNECHILDAM venit, eamque IN CONJUGIUM ACCEPIT. Non tulit hoc Chilpericus pater, sed eos ab invicem dissociare volens, Rothomagum usque accessit,* unde *secum abduxit filium* relicta Brunechilde *anno 576.* Cap 16: *Tunc quoque* anno, quo S. Germanus obiit, nempe 576 *Chilpericus legationem suscepit Childeberti junioris, nepotis sui, petentis, matrem suam sibi reddi Brunechildem. Cujus ille non aspernatus preces, eam cum munere pacis poscenti remisit filio.* --- L. VIII. cap. 22: *Hoc tempore* anno 585 *Wandelinus nutritor Regis Childeberti obiit: sed in locum ejus nullus est subrogatus, eo quod regina mater curam velit propriam habere de filio.* Tutrix nepotum apud Theodobertum moratur, sed *anno IV Theodoberti (599) Brunechildis ab Austrasiis ejecta est, & in Mareiacensi Campania a quodam homine paupere s..ula* (sola) *repperitur. Secundum ejus petitionem ipsa ad Theudericum perducitur. Theudericus aviam suam Brunnihildem libenter recipiens, gloriose honorat.* Hæc FREDEGARIUS Chronico cap. 19. Furiis hinc accensa ambos nepotes in mutuas cædes concitat, quorum altero per fratrem contrito, altero veneno necato, ipsa tandem dignum vitæ exitum experta. FREDEGARIUS cap. 42: *Chlotarius eum Brunnichildis in suo præsentaretur conspectu, & odium contra ipsam nimium haberet, reputans ei quod DECEM REGES FRANCORUM PER IPSAM INTERFECTI FUISSENT, id est SIGOBERTUS & MEROVEUS, & genitor suus CHILPERICUS, THEUDEBERTUS & filius suus CLOTHARIUS, item MEROVEUS filius Clotharii, THEUDERICUS ejusdemque FILII TRES, qui ad præsens extincti fuerant: per triduum eam diversis tormentis adflictam, jubetque eam camelum per omnem exercitum sedentem perducere. Posthæc comam* (lege coma) *capitis, uno pede & brachio ad vitiosissimi* (forsan ferocissimi) *equi caudam ligare, ibique calcibus velocitate cursus membratim disrumpitur.* GESTA FRANCORUM cap. 40 adjiciunt: *Ad extremum sepulcrum ejus ignis fuit, ossa ipsius combusta.* Cineres collecti Augustoduni monumento illati sunt, quod, teste MARTENIO, in Itinerario litterario pag. 107, ibi anno 1632 forte fortuna detectum fuit. Cæterum funestum

funestum Brunnichildis exitum FREDEGARIUS anno post fata Theodorici, annoque trigesimum Clotharii antecedente assignat. Theodorici ultimus a Majo 612 ad Majum 613 currebat, annusque post mortem ejus a Majo 613 ad Majum 614 delabebatur. Trigesimus vero Clotharii exoriebatur quantum colligere licet, post messem anni 613, unde patescit, Brunechildem anno 613 supplicio affectam.

INGUNDIS
filia Sigeberti ex Brunechilde.

JOHANNES ABBAS BICLARIENSIS apud Canisium Basnagii T. II. pag. 339: *Anno III Tiberii Imperatoris, qui est Leogevildi XI annus — Leovegildus Rex Hermengildo filio suo, FILIAM SISBERTI, Regis Francorum, in matrimonium tradit, & provinciæ partem ad regnandum tribuit.* Pag. 340: *Anno III Mauricii, qui est Leovegildi XVII annus —— Hermenegildus in urbe Tarraconensi a Sisberto interficitur.*

GREGORIUS TURONENSIS L. V. cap. 39: *Magna eo anno (580) in Hispaniis Christianis persecutio fuit —— Caput quoque hujus sceleris Goisvintha fuit, quam post Athanachildi regis connubium, rex Leovichildus acceperat, —— Erant autem Leovichildo regi ex alia uxore duo filii, quorum senior Sygiberti, junior Chilperici regis filiam desponsaverat. Sed INGUNDIS SYGIBERTI REGIS FILIA* (FREDEGARIO l. 1. cap. 82 *SEDEGUNDIS* vocata) *cum magno apparatu in Hispanias directa ab avia Goisvintha,* matre Brunechildis, *cum gaudio magno suscipitur, quam —— ut rebaptizaretur in Arriana hæresi, blandis cupit sermonibus inlicere: sed illa viriliter reluctans cœpit dicere —— Hæc illa,* Goisvintha, *audiens iracundiæ furore succensa adprehensam per comam capitis puellam in terram conlidit, & diu calcibus verberatam, ac sangvine cruentatam, jussit spoliari & piscinæ immergi: sed nunquam animum a fide sua reflexit. Leuvichildis autem dedit ei unam de civitatibus, in qua residentes regnarent* Ingundis cum marito, quem multis precibus ab erroribus Arrianismi in rectam viam deflexit. Libro VI cap. 40: *Anno Nono Childeberti,* qui cum anno Christi 584 currebat, *Legatus vero Oppila nomine de Hispania advenit, multa munera Chilperico regi deferens. Timebat enim Rex Hispanorum, ne Childebertus exercitum ad ulciscendam sororis suæ injuriam commoveret, quia Leovichildus ad prehensum filium suum Herminichildum, qui sororem Childeberti Regis acceperat, retruserat in custodiam, ipsa muliere cum Græcis relicta.* L. 8. cap. 18: *Sonus enim erat,* anno 585; *sororem suam* Childeberti *jam Constantinopolin fuisse translatam.* Cap. 21, ad annum

num 585: *Ibi*, Belsonaci in medio Ardoennensis sylvæ, *Brunechildis regina pro Ingunde filia, quæ adhuc in Africa tenebatur omnibus prioribus* Childeberti *quæsta est: sed parum consolationis emeruit.* Cap 28, ad annum 585: *Igitur ut supra diximus, Ingundis a viro cum Imperatoris exercitu derelicta, dum ad ipsum principem cum filio parvulo duceretur, in Africa defuncta est & sepulta, Leovicbildus vero Herminicbildum filium suum, quem antedicta mulier habuit, morti tradidit.*

EPISTOLA *ad Imperatricem Augustam de nomine Domnæ* Brunechildis apud FREHERUM & DUCHESNIUM T. I numero 43: *Accessit, Augusta Serenissima, Christo protegente mihi tempus optabile, quo --- præcellentissimus filius meus Childebertus Rex illam ætatem pertingeret, quo cum piissimo Imperatore vestro conjuge causas utriusque gentis missis Legatariis communi pro felicitate salubriter pertractaret --- Et quia Augusta tranquillissima, casu faciente PARVULI NEPOTIS mei* ex Ingunde filia *didicit peregrinari infantia, & ipsa innocentia annis teneris cœpit esse captiva, rogo per Redemptorem omnium gentium, sic vobis non videatis subtrahi piissimum THEODOSIUM, nec ab amplexu matris dulcis filius separetur; sic vestra lumina semper exhilaret sua præsentia, simul & matris viscera Augusto delectentur de partu, ut jubeatis agere favente Christo, qualiter meum recipere merear parvulum, in amplexu ut refrigerentur viscera, quæ de nepotis absentia gravissimo dolore suspirant: ut quæ amisi filiam, vel dulce pignus ex ipsa, quod mihi remansit, non perdam, & quæ de morte generi crucior, relever per vos cito nepote redeunte captivo ---* Childeberti Regis Epistola ad Constantinopolitanum Patriarcham ibidem numero 44. *--- ut quia casu contigit nepotem nostrum parvulum duci in urbem Rhegium de matre deceptum,* desertum, *& ibidem detineri tam peregrinum quam orfanum apud piissimum patrem nostrum Augustum, de ejus absolutione dignabiliter laboretis.*

CHLODESVINDA
filia Sigeberti ex Brunechilde.

PACTUM ANDELAENSE anni 587 apud GREGORIUM TURONENSEM L. 4. cap. 20: *Pari conditione repromittit Guntchramnus Rex, ut si --- contigerit, domnum Childebertum eo superstite de hac luce migrare, filios suos Theodobertum & Theodoricum Regem --- & genitricem domni Childeberti, domnam Brunechildem reginam, vel filiam ejus CHLODOSVINDAM, germanam domni Childeberti regis, quamdiu intra regionem Francorum fuerit, vel ejus reginam FAILEUBAM, tanquam sororem bonam & filias in sua tuitione & defensione, spirituali dilectione recipiat --- Facta hæc pactio sub die quarto Kalendis Decembris anno vicesimo sexto*

 regni

regni domni Guntchramni regis, domni Childeberti vero duodecimo anno, hi characteres annum 587 deſignant. *Lectis igitur pactionibus --- Felix,* alter Childeberti cum Gregorio ipſo ad Guntchramnum Legatus, *ait. Perveniſſe ad gloriam veſtram credo, quod Richaredus legationem ad nepotem veſtrum direxit, qua neptem veſtram CHLODOSVINDAM filiam fratris veſtri ei in matrimonium poſtularet. Sed ille absque veſtro conſilio nihil exinde promittere voluit. Rex ait : Non eſt optimum enim, ut illuc neptis mea ambulet, ubi ſoror ſua eſt interfecta : ſed nec illud rationabiliter complacet, ut non ulciſcatur mors neptis meæ Ingundæ.* Ergo iſta fata ſua triſtia ante 587 paſſa eſt. *Felix reſpondet : Multum ſe exinde excuſare volunt, aut ſacramentis, aut quibuslibet aliis conditionibus juſſeritis : tantum vos conſenſum præbete, ut ei CHLODOSVINDA ſicut poſtulat, deſponſetur. Rex ait : Si enim nepos meus implet, quæ in pactionibus conſcribi voluit, & ego de his facio voluntatem ejus. --- Et iis dictis ad Eccleſiam proceſſimus. Erat enim dies illa dominicæ Reſurrectionis ſolennitas.* Sequitur hinc, Chlodoſvindam anno 587 deſponſam fuiſſe. Cap. 25 : *Igitur Childebertus Rex cum, petentibus Longobardis, ſororem ſuam Regi eorum eſſe conjugem, acceptis muneribus promiſiſſet, advenientibus Gothorum legatis ipſam, eo quod gentem illam ad fidem catholicam converſam fuiſſe cognoſceret, repromiſit,* anno 588, decimo tertio Childeberti anno, quod rerum connexio prodit. Longobardis tum dominabatur Flavius Antharit, Gothis in Hiſpania Reccaredus, utrique promiſſa, neutri contigit. Qvamvis ipſo adhuc anno referente GREGORIO cap. 28 cum muneribus Brunechildis legatus in Hiſpaniam miſſus eſſet, qui interceptus a Gunthario, *ad Richaredum,* ait, *qui Chlodoſvindam ſororem Childeberti Regis ſponſare debuerat, hæc munera mitti* : Riccaredus enim 589 aliam ſibi uxorem in conjugium adſciverat, Baddo nomine, quæ Concilio Toletano eodem anno celebrato ſubſcripſit. Antharit vero anno 590 duxit Theodolindam Bavaram teſte PAULO DIACONO. Qvorſum Chlodeſvinda delata non conſtat.

Aliam addidit filiam cum fratre ALBERICUS pag. 44 : *Ex Hiſtoria Remenſi : idem Sigebertus Rex alium habuit filium, qui dictus eſt SANCTUS BALDRICUS Presbyter & Abbas. Hic fecit Remis Monaſterium puellarum ſancti Petri, & ibi ſancta BONA SOROR ſua fuit prima Abbatiſſa. Secunda Abbatiſſa Neptis ejusdem ſancta DODA. Hic ſanctus Baldricus quærens poſtea heremitorium, venit ad locum, ubi mons eſt Falconis, & ibi avis, quæ dicitur faleo, eum conduxit, ibique monachorum Abbatiam inſtituit, & multa miracula fecit.* Trigam hanc Meroveadarum ignorant vetuſtiora monumenta. Depromſit, ex FLODOARDI *Hiſtoria Rhemenſi l. 4. cap. 38* ſua ALBERICUS. Unde FLODOARDUS hæc, non conſtat. Qvamvis in SURIO ad 19 Oct. pag. 284 legantur, quæ huc pertinent,

nent, nulla tamen inde elucefcit authoritas vetuftioris. Undecunque tamen haufèrit, FLODOARDUS, graviffimus Scriptor, fidem ipfi non denegamus. Siluerunt quidem TURONENSIS & FREDEGARIUS trigam, at vel occafio defuit eos commemorandi, vel incuria, quod nothi procul dubio fuerunt, prætermifere. Fortius labefactat authoritatem FLODOARDI RHEMENSIS FORTUNATUS EPISCOPUS, qui l. 10 carmine 17 canit:

Floreat arce decens Rex Childebertus in Orbe
cum genitis, populo, matre, SORORE, jugo.

Unicam enim modo propinat fororem Childeberti *Chlodefindam* nempe. At prætergreffus reliquas FORTUNATUS, quod nothas neque ex Brunechilde fufceptas noverit. Tefte enim JONA ABBATE in Vita S. Columbani cap. 24 alia adhuc extitit Sigeberti filia, quam ceteri ignorant, quod ex Brunechilde non fufcepta fuerat. *Qui Columbanus*, ait *cum hora refectionis cum eo* Leupario Turonenfi Epifcopo *ad menfam refideret, interrogatus cur retro ad patriam repedaret, refpondit: Canis me Theudericus a Fratribus meis abegit: Tunc unus e convivis* CHRODOALDUS *nomine, qui* AMITAM THEUDEBERTI REGIS *in conjugio habebat, Regi tamen Theodorico fidelis erat, huic viro Dei humili voce refpondit --- fe melius effe, lac potare quam abfinthium: Cui vir Dei --- Si Regis Theuderici vinctus es fœdere --- hæc ejus auribus infer: Et ipfum & fuos liberos, intra triennii circulum effe delendos, radicitusque ejus ftirpem Dominum eradicaturum.* Interiit ftirps Theuderici anno 613. Accidere itaque narrata circa 611, eoque ipfo anno Sigeberti filia, Theudeberti amita in conjugio Chrodoaldi vixit.

CHILDEBERTUS II. REX Auftrafiorum, filius Sigeberti & Brunechildis.

GUNTCHRAMNUS Rex oratione de Childeberto habita ad Sacerdotes apud TURONENSEM Libro VIII. cap. 4. *Nam in* DIE *Sancto* PASCHÆ *ftante fratre meo Sygiberto in ecclefia, procedente Diacono cum fancto Evangeliorum libro, nuncius Regi advenit; unaque vox fuit pronunciantis lectionem evangelicam ac nuncii dicentis:* FILIUS NATUS EST TIBI: *unde factum eft, ut omnis populus in utraque annunciatione proclamaret pariter: Gloria Deo omnipotenti. Sed baptifmum in die fancto Pentecoftes accepit, & Rex nihilominus in die fancto dominicæ*

Nativitatis est elevatus. Primus ergo annus Childeberti incipit 25 Decembris 575.

TURONENSIS l. 5. cap. 1: *Igitur interempto Sygiberto rege apud Victoriacum villam Brunichildis regina cum filiis Parisiis residebat. Quod factum cum ad eam perlatum fuisset, & conturbata dolore ac luctu, quid ageret, ignoraret, Gundobaldus dux adprehensum Childebertum filium ejus parvulum furtim abstulit:* (addit EPITOMATOR cap. 32: *& cum eo in Auster fugit*) *ereptumque ab imminenti morte, collectisque gentibus, super quas pater ejus regnum tenuerat, Regem instituit, vix lustro ætatis uno jam peracto, qui die Dominici natalis regnare cœpit.* Finierat lustrum die Paschatos 575, natus itaque 570 die paschatos, quem tum temporis unum feriebantur.

TURONENSIS lib. 5. cap. 18: *Guntheramnus Rex* anno 577 *ad Childebertum nepotem suum legatos mittit, pacem petit ac deprecans, eum videre. Tunc ille cum proceribus suis ad eum venit: qui ad Pontem quem Petreum vocant, conjuncti sunt, consalutantes atque invicem osculantes se Guntheramnus Rex ait. Evenit impulsu peccatorum meorum, ut absque liberis remanerem, & ideo peto, ut hic nepos meus mihi sit filius. Et imponens eum super cathedram suam, cunctum ei regnum tradidit dicens: Una nos parma pretegat, unaque hasta defendat.* Cap. 25: *Chilpericus rex Pictavum pervasit, atque nepotis sui homines ab ejus sunt hominibus fugati, 578.* Libro VI cap. 1: *Anno igitur sexto (581) regni sui Childebertus Rex, rejecta pace Guntheramni regis cum Chilperico conjunctus est,* quod adhuc orbus Chilpericus Childebertum adoptare promiserat, cap. 3. Cap. XI: *Childebertus --- legatos ad Guntheramnum regem mittit, ut medietatem Massiliæ, quam ei post obitum patris sui dederat, reddere deberet.* Illo negante *Gundulfum ex domestico ducem factum* mittit, qui stratagemate partem illam Childeberto subjugat --- *Ex hoc autem gravis inimicitia inter Guntheramnum regem & Childebertum nepotem suum exoritur, 581.* quæ in mutuas cædes erumpit, *583*, cap. 31. donec Massiliæ parte sibi refusa pacem pangit, *584*, cap 33. & contra Chilpericum movet, cap. 41. *Childebertus vero Rex in Italiam abiit. Quod cum audissent Longobardi --- subdiderunt se ditioni ejus --- patratisque quæ voluit Rex, in Gallias est regressus, atque exercitum commoveri præcepit, quem in Hispaniam dirigi jussit, sed quievit: Ab imperatore autem Mauricio ante hos annos quinquaginta millia solidorum acceperat, ut Longobardos de Italia extruderet, 584,* cap. 42. Exorta iterum post Chilperici mortem altercatio sic finita, ut Childebertus integrum patris regnum reciperet, denuoque a Guntchramno hæres institueretur, 585, l. 7. cap. 33. Novam urgentibus Græcis in Italiam suscipit expeditionem, sed frustra, 585,

l. 8. cap. 18. *Anno 587 Rex Guntheramnus Albigensem urbem nepoti suo Childeberto tradidit*, cap. 45. Iniit 587 cum Gunthcramno pactum Andelaense, de quo in Sigeberto & Gunthcramno egimus, L. 9. cap. 20. Tertio irruit in Longobardos, sed infausto successu, 588, cap. 25, pacemque cum illis pangit, 589, cap. 29. Sequenti anno Longobardos ad petendam denuo pacem adigit. L. X. cap. 3.

GESTA FRANCORUM EPITOMATA cap. 36: *Childebertus rex Austrasiorum --- defuncto Guntramno patruele suo regnum Burgundiæ ipse accepit.* Cap. 37: *Mortuus est Childebertus rex junior, regnavitque annos XX.*

FREDEGARIUS CHRONICO cap. 14: *Anno 33 regni Gunthramni. Et anno V Kalend. Aprilis ipse Rex moritur --- Regnum ejusdem Childebertus adsumsit.* Cap. 15: *Anno III Childeberto in Burgundia regnante --- exercitus Childeberti cum Warnis*, de quibus supra in Theodechilde regina, *qui rebellare conaverunt, fortiter dimicavit, & ita Warni trucidati ac victi sunt, ut parum ex ipsis remansisset.* Cap. 16: *Anno IV postquam Childebertus regnum Gunthramni acceperat, defunctus est.*

EPITAPHIUM apud AIMOINUM l. 2. cap. 29: *Francorum Rector, præclarus in agmine ductor, cujus & Allobroges metuebant solvere leges, Dacus & Arvernus, Britonum Rex, Gothus, Iberus hic situs est, dictus rex Childebertus honestus ---*

Duæ Epochæ Imperii Childeberti, altera in regno Austrasiæ, altera Burgundiæ. Prior 25 Dec. 575 exorsa est, altera 28 Martii 593, quo die Guntramnus vivere desiit. In GESTIS EPITOMATIS legitur Childebertus regnasse viginti annos, quod de expletis intelligendum, ideoque cum vigesimus regiminis annus 24 Dec. 595 clauderetur, naturæ reddidit debitum anno 596. Isque ipse annus est *quartus, postquam Childebertus regnum Gunthramni acceperat*, inchoatus a die *V Kalendarum Aprilis*. Unde constat vivendo explevisse viginti sex integros annos, si vel medio Aprili obierit, dies enim obitualis in fastos non relatus. Ex epistolis tamen GREGORII MAGNI PAPÆ colligitur ante Julium mensem hujus anni decessisse. Dedit enim mense Julio Indictionis XIV, quæ anno 596 cum Augusto exiit, ad Brunechildem, quæ Libri V epist. 59 & ad Theodobertum & Theodoricum, quæ 58 ejusdem libri est epistolas, neque vel solamen perscribit, neque ut moris est, suum mærorem testatur. Utrumque tamen præstitisse, paterni erat officii, nisi aliquot jam menses Childebertus animam posuisset, Gregoriusque in anteriore forsan epistola partes exsequutus sit. Ex-

tant utræque litteræ apud DUCHESNIUM T. I. pag. 897, ſed charactere Chronico carent. Fallitur hinc circa ætatis annum AIMOINUS vel ejus Interpolator l. 3. cap. 84: *Anno quarto regni Burgundiæ a Childeberto ſuſcepti, paterni vero regni viceſimo tertio, ætatis porro ſuæ XXV idem rex cum uxore propria (ut fertur) vi veneni extingvitur.* Nec enim vigeſimus tertius regiminis cum vigeſimo quinto ætatis nec uterque cum quarto regni Burgundico currente congruit.

THEUDELINDIS ſponſa Childeberti.

FREDEGARIUS cap. 34: *Ago rex Longobardorum accepit uxorem Grimoaldi & Gundoldi germanam nomine THEUDELINDEM ex genere Francorum, quam Childebertus habuerat deſponſatam, qui cum eam conſilio Brunnihildæ poſtpoſuiſſet* —

FAILEUBA Uxor Childeberti II.

PACTUM ANDELAENSE apud TURONENSEM L. 9. cap. 20: — *Pari conditione repromittit domnus Guntheramnus Rex, ut* — *ſi contigerit domnum Childebertum eo ſuperſtite de hac luce migrare, filios ſuos Theodobertum & Theodoricum regem, vel ſi adhuc alios ipſi Deus dare voluerit, ut pius pater ſub ſua tuitione & defenſione recipiat, ita ut regnum patris eorum ſub omni ſoliditate poſſideant, & genitricem domni Childeberti Domnam Brunechildem* — *vel ejus REGINAM FAILEUBAM, tanquam ſororem bonam in ſua tuitione* — *recipiat* — anno 587. Una cum marito veneno necatam aſſerit AIMOINUS loco ſupra recitato, cui conſentit PAULUS DIACONUS l. 4. cap. 12.

Præter filios Theodobertum & Theodoricum, tertium edidit teſte TURONENSI L. 9. cap. 38 ad annum decimum quartum Childeberti ſive 589: *Cum autem Faileuba regina Childeberti Regis, PARTU EDITO MOX EXTINCTO ægrotaret, attigit aures ejus ſermo, quod quidam vel contra eam vel contra Brunechildem reginam agere conarentur. Cumque confortata ab incommodo, ad Regis præſentiam acceſſiſſet, omnia tam ei quam matri ejus, quæ audierat reſeravit. Verba autem hujuscemodi erant, quod ſcilicet Septimina nutrix infantum ejus, conſilio ſvadere vellet Regi, ut ejecta matre, conjuge relicta aliam ſortiretur uxorem: & ſic cum eodem* Rege

quæ-

quæcunque vellent, vel astu agerent, vel precibus obtinerent. Quodsi his Rex nollet adquiescere quæ suadebat, ipso maleficiis interempto, elevatis filiis ejus Theodoberto & Theodorico *in regnum, repulsa nihilominus matre eorum,* unde patet Faileubam utrumque peperisse, *&* *avia* Brunechilde *ipsi regerent regnum.*

THEODOBERTUS II. Rex Austrasiæ, filius Childeberti II.

GREGORIUS TURONENSIS in fine anni X Childeberti Regis L. 8. cap. 37: *Post hæc Childeberto regi FILIUS natus est, qui a Magnerico Treverorum Episcopo de sacro fonte susceptus THEODOBERTUS est vocitatus, de quo tantum gaudium Guntherammus Rex habuit, ut statim legatos dirigens multa ei munera transmitteret, dicens: Per hunc enim Deus erigere Francorum regnum propria majestatis suæ pietate dignabitur, si huic pater aut ipse vixerit patri.* Sequens caput inchoat TURONENSIS: *Anno denique undecimo regni Childeberti Regis ---* Claudebatur annus Childeberti decimus 25 Dec. 585, eodemque die undecimus exortus. Palam ergo, Theodobertum Decembri mense 585 materno exclusum esse utero; maleque subduxisse rationes FREDEGARIUM, cum cap. 5 Chronici notavit: *Anno XXVII regni* Guntchramni, qui anno 588 cucurrit, *--- filius Childeberti regis Theudebertus natus fuisse nunciatur.*

JONAS ABBAS cap. 18: *--- Sigibertus etenim apud Victoriacum villam publicam, quæ in suburbano Arravienfis urbis sita est, Chilperici germani sui dolo, qui apud Tornacum oppidum tunc erat, usque internecionem interfectus est. Perempto itaque Sigiberto, Childebertus filius ejus regni sceptra suscepit, annuente matre Brunechilde. Mortuo deinde Childeberto inter adolescentiæ annos, regnaverunt filii Childeberti duo Theudebertus & Theudericus, cum avia Brunichilde, Regno Burgundionum Theudericus potitus, regnum Austrasiorum Theudebertus suscepit regendum.*

TURONENSIS L. 9. cap. 36: *Igitur anno quo supra XIV (589) regni sui Childebertus rex morabatur cum conjuge, & matre sua intra terminum urbis, quam Stratiburgum vocant: Tunc viri fortiores, qui in urbe erant SVESSIONICA sive Meldensi venerunt ad eum, dicentes: Da nobis unum de filiis tuis, ut serviamus ei --- At ille gavisus nuncio, THEODOBERTUM filium suum seniorem illuc --- mense sexto* Augusto *hujus anni direxit --- susceptique eum populus gaudens ---*

FREDEGARIUS Chronico cap. 16: *Anno IV postquam Childebertus regnum*

regnum Gunthramni acceperat, defunctus est: regnumque ejus filii sui Theudebertus & Theudericus adsumunt; Theudebertus sortitus est Auster, sedem habens Metensem; Theudericus accepit regnum Guntramni in Burgundia, sedem habens Aurelianis. Consentiunt GESTA FRANCORUM cap. 37: Clotharius instigante Fredegunda erepturus fratribus regna irruit, attrito & fugato eorum exercitu Lutetias Parisiorum suam in ditionem redigit 596, FREDEGARIUS cap. 17. Idem cap. 20: *Anno V Theuderici*, hoc est anno 600, *Theudericus & Theudebertus Reges contra Chlotharium movent exercitum, & super fluvium Arovnam non procul a Doromello vico* (*in pago Senonensi* addunt GESTA FRANCORUM, c. 37.) *prælio confligentes junxerunt, ibique exercitus Chlotharii gravissime trucidatus est. --- Chlotharius oppressus, vellet nollet, per pactionis vinculum formavit, ut inter Sigonam & Ligerem, usque mare Oceanum & Brittannorum limitem pars Theuderici haberet: & per Sigonam & Isaram ducatum integrum Denzileni usque Oceanum mare Theudebertus reciperet, XII tantum pagi inter Isaram & Sigonam & mare littoris Oceani Chlothario remanserunt.* Cap 21: *Anno VI regni Theuderici --- Theudebertus & Theudericus exercitum contra Wascones direxerunt, ipsosque Deo auxiliante dejectos suæ dominationi redigunt, & tributarios faciunt, ducem super ipsos nomine Genialem instituunt, qui eos feliciter dominavit.*

FREDEGARIUS cap. 27: *Anno X regni Theuderici --- Cum Brunechildis nepotem suum Theudericum integra adsiduitate moneret, ut contra Theudebertum moveret exercitum, dicens: Quasi Theudebertus non esset filius Childeberti, nisi cujusdam hortulani* (GESTA FRANCORUM cap. 38 Brunechildim nepotem adhortantem inducit, *non esse fratrem suum, sed filium meretricis, concubinæ patris sui, & in adulterio fuisse natum*, quod ex TURONENSI falsum docuimus.) --- *tandem jussu Theuderici movetur exercitus --- Theodericus vero confusus & coalitus cum fratre Theudeberto pacem iniit, & inlæsus uterque exercitus revertit ad propriis sedibus* --- Sæpius posthæc de pace tractatum 608, cap. 35, 610 in Alsatia Salissone inter Argentoratum & Tabernas ad Rhenum 637. Denique Chlotario in auxilium ascito, Theodoricus *anno XVII --- Majo mense --- Tullum civitatem perrexit, ibique Theudebertus cum Austrasiorum exercitu obviam pergens in Tullensi campania* (planitie) *confligunt certamine. Theudericus superat Theudebertum ejusque exercitum prostravit. --- Theudebertus terga vertens per territorium Metense veniens, transito Vuosago Coloniam fugaciter pervenit. Theudericus insequens --- cum exercitu Ardennam transiens Tolbiavum pervenit. Theudebertus tum Saxonis, Thoringis, vel cæteris gentibus, quas de Vltra Rhenum vel undique potuerat adunare, contra Theudericum Tholbiacum perrexit, ibique denuo --- Theudericus Theudebertum superat, & a Tholbiaco usque Coloniam exercitus Theudeberti gladio truci-*

trucidatur, --- ipſoque die Coloniam perrexit, omnesque theſauros Theudeberti ibi recepit. --- Theudebertum captum Berthαrius Coloniam in conſpectum Theuderici præſentat. Exibi tum veſtes regales Theudebertus exſpoliatur, equusque ejus cum ſtratura regia, hoc totumque Berthario a Theuderico conceditur. Theudebertus vinctus Cabillonum deſtinatur : Hæc FREDEGARIUS cap. 38. Paulo aliter GESTA FRANCORUM EPITOMATA rem exponunt : *Theodobertum ad Tolbiacum ſuperatum, Coloniam ingreſſum ibique ab incolis flagitante Theodorico occiſum, & cum capite abſciſſo extra muros provolutum fuiſſe coram Theuderico.* Curioſiſſime omnium JONAS ABBAS in Vita S. Columbani cap. 30 : --- *Theodericus Theodebertum ad bellum ciet, & propter Tullum devictum fugat. Poſt quem collecto robore exercitus perſequitur. Similiquè modo gentium multarum Theodobertus robore vallatus, ad Tulbiacenſe caſtrum pugnaturus occurrit. Ibi prælio inito, innumeræ hoſtium phalanges ex utroque exercitu perierunt. Victus tandem Theodobertus fugit --- Perſequutus eſt ergo Theodebertum Theodericus & ſuorum proditione captum ad aviam Brunichildem direxit. Quem cum avia recepiſſet, quia Theoderici partibus Brunechildis favens erat, furens Theodebertum Clericum fieri rogavit : ac non poſt multos dies impie nimis poſt Clericatum perimi juſſit.* Mutuatus hinc ſua THEODORUS S. Galli Monachus in Vita S. Magnoaldi apud CANISIUM & SURIUM 6. Sept. totidemque verbis repetit cap. VI pag. 74. Qvaqua demum occubuerit morte certum eſt fata ſiniſtra ſubiiſſe anno Chriſti 612, quo annus Theodorici XVII cucurrit.

Uxores Theodoberti II.

FREDEGARIUS cap 35 : *Anno XIII (608), regni Theuderici, cum Theudebertus BELICHILDEM habebat uxorem, quam Brunechildis a negotiatoribus mercaverat, & eſſet Belichildis utilis, & a cunctis Auſtraſiis diligeretur vehementer, ſimplicitatem Theudeberti honeſte comportans, nihil ſe minorem a Brunechilde cerneret, ſed ſæpius legatos Brunnechildæ deſpiceret, dum ab ipſa increpatur, quod ancilla ipſius Brunichildæ fuiſſet : tandem bis & aliis verbis legatis diſcurrentibus ab invicem vexarentur, placitus inter Colerenſem & Sventenſem ſitur, ut has duas Reginas pro pace inter Theudericum & Theudebertum conjungerent loquendum. Sed Belechildis conſilium Auſtraſios inibi venire diſtulit.* Capite 37 ad annum XV Theodorici ſive 610 æræ Dionyſianæ : *Eo anno Bilichildis a Theudeberto interficitur. Theudebertus puellam nomine THEUDECHILDEM accepit uxorem.*

L Filii

Filii Theodoberti II.

FREDEGARIUS cap.38 : *Capto Theodoberto atque occiso* (anno 612.) *filius ejus nomine MERUVEUS parvulus jussu Theuderici adprehensus a quodam per pedem ad petram percutitur, cerebroque ejus capitis erupto amisit spiritum.*

FREDEGARIUS cap. 42 : *Chlotharius — reputans ei Brunichildæ, quod decem reges Francorum per ipsam interfecti fuissent, id est — Theudebertus & filius suus CLOTHARIUS.*

GESTA FRANCORUM EPITOMATA cap. 38 : *Theudericus rex* devicto Theudeberto *reversus, cum filia Theudoberti Regis, fratris sui, vel DUOBUS FILIIS ejus parvulis, reversus est ad urbem Metensem, ibique Brunhildis Regina advenerat. Adprehensosque pueros filios Theudoberti interfecit. Theudericus itaque Rex videns FILIAM THEUDOBERTI, neptemque suam, quod esset pulchra, voluit eam sibi ad conjugium copulare. Cui ait Brunhildis : Quomodo accipere poteris filiam fratris tui ? At ille ait : Nonne tu dixisti mihi, quod non esset frater meus ? Cur induxisti super me hoc peccatum, inimica, mala, ac rea mortis, ut fratrem meum & parentes interimerem. Et evaginato gladio voluit eam transverberare. Illa vero a circumstantibus erepta, evasit in cubiculum domus elapsa.*

PAULUS DIACONUS l. 4. cap. 31, postquam obitum Gregorii Magni Papæ retulisset, qui in *12. Martii*, ut habet ANASTASIUS, *anno 604*, quod solide demonstravit PAGIUS, incidit. *Igitur sequenti pergit æstate mense Julio levatus est Adaloaldus Rex super Langobardos apud Mediolanum in Circo, in præsentia Patris sui Agitulfi Regis, adstantibus legatis Theudeberti Regis Francorum, & desponsata est eidem REGIO PUERO FILIA REGIS THEUDEBERTI, & firmata est pax perpetua cum Francis.* Ergo desponsa anno 604 in cunis Adoaldo, postea a Theodorico patruo expetita, nulli vero ducta.

THEODORICUS II. Rex Burgundiæ, filius Childeberti & Faileubæ.

GREGORIUS TURONENSIS L. 9. cap. 4 : *Eo anno,* XII Childeberti, qui Dionysianus 587, *Childeberto regi alius FILIUS natus est, quem Veratus*

Chil-

Cabillonensis Episcopus suscipiens a lavacro THEODORICI nomen posuit. Confer pactum Andelaense *IV. Kalend. Decemb. anno XXVI regni Domni Guntchramni regis, domni Childeberti vero duodecimo anno* conditum, cujus huc pertinentia verba in Faileuba recensuimus. Fallitur inde FREDEGARIUS in notis temporariis cap. 6, Chronici, ubi habet : *Anno XXVIII regni Domni Guntramni, alius filius Childeberti nomine Theudericus natus nunciatur.* Mortuo patre Burgundiæ regnum nactus 596, sede Aurelianis constituta. *Anno V (600)* Clothario extorquet, quæ Sigonam Ligerim Oceanum atque Brittannos interjacent. *Anno VI (601)* Wascones cum fratre subigit. *Anno IX (604)* Clotharius amissa recuperaturus fugatus a Theuderico, *25. Dec. Anno X (605)* fratrem instigante Brunechilde aggreditur, sed coactus pacem init. *Anno XII (607)* ob rejectam sponsam Hispanicam, a Clothario, Betherico Hispano, & Theudeberto ipsi periculum imminet, quod statim evanescit. *Anno XV (610)* Theodoberto per pactum Selzense cedit Alsatia, Helvetorum pagis Sortensi & Turensi, ut & Campania. *Anno XVI (611)* cum Clothario fœdus percussit ad opprimendum fratrem. *Anno XVII (612)* victo atque occiso Theodoberto regnum Austrasiæ sibi vindicat. Ex FREDEGARIO hæc pleraque in Theudeberto recitavimus. Pergit FREDEGARIUS cap. 38 : *Anno XVIII (613) regni sui de Austria & Burgundia movere præcepit* contra Clotharium. Capite 39 : *Ipse quoque anno jam exercitus contra Clotharium adgrediebat. Theudericus Mettis profluvio ventris moritur.* GESTA FRANCORUM cap. 39 : *Post hæc* Brunechildis *odio nimio infecta potionem venenatam per manus ministrorum crudelium ei* Theuderico *transmisit. Qui statim nesciens hunc dolum venenum bibit, ac deinde deficiens iniquum fudit spiritum. Illoque mortuo, parvulos filios ejus iniquiter ipsa Brunhildis jugulavit. Juniorem vero puerum in albis eliso cerebro ad petram interfecit.* Confudit Autor filios Theodeberti cum Theodorici natis. Reliqua habet quoque AIMOINUS l. 3. cap. 100.

EREMBERGA
Uxor Theoderici.

FREDEGARIUS cap. 30 : *Eodem anno* (XII regni Theuderici, qui maximam partem anni 507 decurrebat) *Theudericus Aridium episcopum Lugdunensem, Rocconem & Eborinum Comestabuli ad BETERICUM regem SPANIÆ direxit, qui exinde ERMENBERGAM FILIAM ejus Theuderici matrimonio sociandam adducerent, ibique datis sacramentis, ut a Theuderico ne unquam a regno degradaretur, ipsamque accipiunt, & Theuderico Cabilloni præsentant, quam ille gaudens accepit. Eadem*

factione aviæ suæ Brunnichildæ virilem coitum non cognovit. instigantibus verbis Brunnichildæ aviæ & THEUDELANÆ GERMANÆ efficitur odiosa. Post anni circulum Theudericus Ermenbergam expoliatam a thesauris in Spaniam retransmisit adeoque anno 508. Rationem prodit JONAS Vita S. Columbani cap. 19. apud SURIUM & DUCHESNIUM T. I. p. 554. *Verebatur enim* Brunichildis *ne si abjectis concubinis Reginam Aulæ præfecisset* Theodoricus, *dignitatis atque honoris sui modum amputasset.*

SIGEBERTUS II. & reliqui filii Theodorici ex Concubinis.

JONAS ABBAS coævus Vita Columbani cap. 31: *Porro Theodoricus penes Mettense oppidum morans, divinitus percussus, inter flagrantis ignis incendia mortuus est. Post quem Brunichildis FILIUM EJUS SIGIBERTUM in Regnum sufficit. Itaque Chlotharius collecto exercitu, fines Regni, quæ suæ ditioni debebantur, conatur recipere. Contra quem Sigibertus cum hostium cuneis pugnaturus advenit. Quem Chlotharius captum peremit, FRATRESQUE EJUS QUINQUE* (unum de suo addidit quippe quatuor tantum innotuerunt) *Theoderici filios cum proavia Brunichilde cepit. Pueros separatim perimit. Brunichildem vero primo ignobiliter camelo impositam hostibus girando monstravit. Postque indomitorum equorum caudis irretitam vita privavit.*

FREDEGARIUS cap. 21: *Anno VI regni Theuderici (601) de concubina filius nascitur, nomine SIGOBERTUS. ---* Cap. 24: *Anno VII regni Theuderici (602) de concubina nascitur ei filius nomine CHILDEBERTUS, & synodus Cabilloni colligitur --- Anno IX (604) regni Theuderici nascitur ei de concubina filius nomine CORBUS.* Cap. 29: *Anno XII regni Theuderici --- natus est de concubina Theuderici filius nomine MEROVEUS, quem Chlotharius de sancto lavacro suscepit.* Cap 39: Mortuo anno XVIII (613) Theodorico *Brunnichildis cum filiis Theuderici quattuor, Sigoberto, Childeberto, Corbo, & Meroveo Mettis residens, Sigobertum in regno patris instituere nitens. Chlotharius factione Arnulfi & Pipini vel cæterorum procerum Auster ingreditur, cumque Captonnacum accessisset, & Brunnichildis cum filiis Theuderici Warmatiæ resideret, legatos --- ad Chlotharium direxit, contestans ei, ut se de regno Theuderici, quod fillis reliquerat, removeret --- Brunnichildis Sigobertum filium Theuderici in Thoringiam direxit ---* ut copias contraheret --- Cap. 41: *Jussu Brunnichildæ & Sigoberti filii Theuderici exercitus de Burgundia & Auster contra Chlotarium adgreditur.* Cap. 42: *Veniensque Sigobertus in Campaniæ territorium Catalau-*

nense

nense super fluvium Axonam, ibique Chlotharius obviam eum exercitu venit --- exercitus Sigoberti terga vertens redit ad propriis sedibus. Chlotharius --- usque Ararem, id est Saogonnam fluvium pervenit. Captis filiis Theuderici tribus, Sigoberto, Corbo, & Meroveo, quem ipse de fonte excepit. Childebertus fugaciter ascendens nunquam postea fuit reversus. --- Sigobertus & Corbus, filii Theudorici, jussu Chlotharii interfecti sunt. Meroveus secretius jussu Chlotharii in Neptriam perducitur, eumdem amplectens amore, quod ipse de sancto accepit lavacro, & Ingebodi grafioni commendatur: ubi plures post annos vixit. Sublata e medio integra Childeberti stirpe reciderunt Austrafia atque Burgundia ad Chlotarium anno imperii ejus trigesimo inchoato statim post obitum Theodorici, quod utrumque coincidit in annum Dionysianum 613.

APPENDIX AD MARII CHRONICON autore coævo apud DUCHESNIUM T. I. p. 217: *Per idem tempus divisa in tribus olim regnis Francia in uno a præfato Rege* Clotario *Francorum regnum conjungitur, atque persequente Theuderico Rege germanum suum Theudebertum vincentes Franci in Burgundiam moventes Austrasios, ad extremum ipsum occiderunt. Nec mora, Victor Theudericus Mettis cum obiisset, Sigoberto filio parvulo cum avia sua Brunichilde, regnum male usurpatum reliquit: qui vivente adhuc germano suo nepotem proprium ad petram in albis elidi jussit* Meroveum tempe. *Per idem tempus victi filii sui a Rege præfato Chlotacario capitur præfata Regina, prædictorum avia* miserrime enecta, ut ex nostro, GESTA FRANCORUM FREDEGARIUSque repetunt.

Sponsa Sigeberti II.

WALAFRIDUS STRABO Vita St. Galli L. I c. 14 apud DUCHESNIUM T. I p. 558: *--- nuncius venit --- indicans Constantiensem Episcopum Gaudentium nomine de hac vita migrasse. Septima post hæc die GUNZONIS DUCIS* Sueviæ *epistola venit ad Presbyterum Willimarum, ut die duodecimo ad Iburningas villam veniret, & virum Dei Gallum secum adduceret. Nam FILIAM EJUS nomine FRIDEBURGAM, quæ illi erat unica singulari pulchritudine fulgens, spiritus invasit malignus - - Hanc ob causam pater ejus nuncios misit ad REGEM SIGEBERTUM THEODORICI FILIUM, QUI EAM HABUIT DESPONSATAM, ut ei nunciarent, quicquid circa puellam agebatur. Rex autem misit duos Pontifices, ut eam --- sanarent. ---* Gallus *--- sanam eam matri reddidit.* Tum fusius exponit apparatum nuptiarum STRABO, eas vero ita elusisse Frideburgam narrat autor, ut loco thori regalis monasticam amplexa sit vitam. Assignanda hæc anno 613 post obitum

Theodorici, at vero tunc Clotharius tot tantaque negotia facessivit Sigeberto juveni 12 annorum, ut neque sponsam neque nuptias curare posset. Hinc vereor, an recentiori Autori fides in omnibus habenda sit, præsertim cum THEODORUS, Monachus S. Galli, in Vita S. Magni sive Magnoaldi apud CANISIUM, & SURIUM, ad 6 Sept. cap. 9. p. 75 sanatæ quidem Gunzonis, *Ducis ex provinciis Augustente & Retiæ*, filiæ meminerit, sed neque nomen ejus, neque de nuptiis cum Sigeberto ineundis verbulum adjecerit, & præterea ex ipso appareat, ea, quæ de Sigeberto Theodorici filio STRABO narrat, de Sigeberto Rege Dagoberti filio esse intelligenda, cur Gunzonis filiam desponsam omnino negare erubescimus.

THEUDELANE
filia Childeberti II. & Brunechildis.

Commemorat FREDEGARIUS eam in causa fuisse, ut Hispana sponsa odiosa reddita sit Theodorico, quo mortuo captam a Chlothario refert cap. 42: *Fusis fugatisque Theodorici filiis --- factione Warnarii majoris Domus* Sigoberti *--- Brunnichildis ab Erbone Comestabuli de pago Ultra Jurano ex villa Vrba, una cum THEUDELANE GERMANA THEUDERICI producitur, & Chlotharia in Roneva Vico super Vincennam fluvium præsentatur, (613.)* Cap. 43: *Cum anno XXX regni sui in Burgundia & Austria regnum arripuisset* Clotarius, *Erponem ducem genere Francum loco Theudelanis in pago Vltra Jurano instituit.* Patescit hinc, Theudelani pagum istum vel a patribus, an avia, concessum quondam fuisse nunc vero ereptam. Quæ postea subient fata, penitus ignorantur.

Filia Clotharii I.
ex Ingunde.

VITA sanctæ CONSORTIÆ apud DUCHESNIUM T. I. pag. 549: *--- Sancta Consortia --- ad CHLOTARIUM Regem Francorum ire perrexit --- CUJUS FILIA multo jam tempore ægrotabat --- Rex --- cubiculum eam fecit intrare, ubi puella febribus correpta jacebat --- salutavit puellam, dicens: Pax tecum. Cui illa --- statim quippe ut tu in Palatium introisti, me febris dimisit qua torquebar, & ecce sana effecta sum. --- Mortuo Rege Chlotario, missus est unus ex primoribus Palacii Hecca nomine a SIGEBERTO, qui patri suo in regnum successerat, ut Provinciam Massiliæ disponeret,* Is cum Consortiam ducere vellet, casu interiit. *Pueri ---*

ad

ad regem festinato regressi nunciaverunt, quæ viderant. Erat ille dies natalis Regis & GERMANA EJUS, *quam sancta Consortia ab infirmitate curaverat, circa Regem discumbens cum videret eum de nuncio contristari, inquirit ab eo causam.* --- Anonymam hanc filiam Clotharii ex Ingunde susceptam suspicamur, quod germana Sigeberti audiat, ipsaque in aula Sigeberti potissimum versata sit.

CHRAMNUS filius Clotharii I. ex Gusinane, & Chalda Uxor.

GREGORIUS TURONENSIS l. 4. cap. 3: *Chlotharius --- Rex --- de Chunsena habuit Chramnum ---* Cap. 9: --- *Chlotarius Rex regnum* Theodualdi *accepit --- dirigens Arvernum Chramnum filium suum (555)* ubi constitutus Rex multa mala perpatravit quæ capite 13 legi possunt. Cap. 16: --- *Chramnus autem (cui pater vices suas per Aquitaniam commiserat* AIMOINUS l. 2. cap. 28.) *ab Arverno regressus ad Pictavorum civitatem venit. Ubi cum in magna potentia resideret, seductus per malorum consilium ad Childebertum patruum suum transire cupit, patri insidias parare disponens --- fœdere inito Lemovicinum rediit, & illud per quod prius ambulaverat in regno patris sui, in sua dominatione redegit.* Hinc bellum civile anno 556. Cap. 17: *Tunc,* anno 556, *Chramnus jam accepta* WILIACHARII FILIA *Parisios accedens, secum Childebertum regem constringit in fide atque charitate, jurans se patri esse certissimum inimicum.* Cap. 20: *Childebertus rex --- obiit (558.) --- Chramnus autem patri repræsentatur, sed postea infidelis extitit. Cumque se cerneret evadere non posse, Britanniæ petiit: ibique cum Conoobro, Britannorum Comite, ipse & UXOR EJUS ac FILIÆ latuerant. Wiliacharius autem socer ejus ad basilicam sancti Medardi confugit. --- Chlotharius autem rex contra Chramnum frendens, cum exercitu adversus eum in Britanniam dirigit. --- Confligentibus igitur pariter, Britannorum Comes terga vertit, ibique & cecidit: denique Chramnus fugam iniit, naves in mari paratas habens, sed dum uxorem & filias suas liberare voluit, ab exercitu patris oppressus, captus & ligatus est. Quod cum Chlothario Regi nunciatum fuisset, jussit eum cum uxore & filiabus igni consumi: inclusisque in tugurio cujusdam pauperculæ, Chramnus super scamnum extensus orario suggillatus est, & sic postea super eos incensa casula, cum uxore & filiabus interiit.* Cap. 21: *Rex vero Chlotharius --- obiit post annum decurrentis anni diem, quo Chramnus fuerat interfectus.* Obiit pater anno 561, hinc crematus Chramnus anno 560.

MARIUS AVENTICENSIS pag. 214: *P. C. Basilii anno XIV Indict. III. --- Eo anno Chramnus filius Chlothacarii Regis, sollicitante Childeberto patruo suo, ipsum*

ipsum latebram dedit. --- P. C. Basilii anno XV Indict. IV --- Ipsis diebus Chramnus collecto exercitu regionem patris sui devastat. --- P. C. Basilii anno XIX Indict. VIII. --- Eo anno Chramnus post sacramenta, quæ patri dederat, ad Britannos petiit, & moliens Regnum patris invadere, adversus ipsum cum Britannis movere ausus est: multaque loca graviter deprædavit. Ad cujus insaniam reprimendam pater cum exercitu properavit, & interfecto Comite Britannorum, Chramnum vivum cepit, incensumque cum uxore, & filiis, totius regionis incidit excidium. Indictio III incidit in annum 555. IV in 556. VIII in annum 560. CONTINUATOR MARCELLINI COMITIS eadem fata Chramni enarrat, sed ut plerumque solet, duobus annis prius refert quam accidère.

GESTA FRANCORUM EPITOMATA cap. 28. verbis Turonensis inserunt: *Sed Chramnus noluit jussum patris implere durius agens. Duxitque Willebari filiam sibi in uxorem nomine CHALDAM ---*

AIMOINUS l. 2. cap. 30: *Cui Chramno nobilitas conjugis, odiorum suppeditabat materiam, quod præemineret prosapiæ claritudine: ei nomen CALTE, WILLECARIO GENITA Aquitaniæ duce,*

GUNDOBALDUS Rex fictus Clotharii I. filius.

GREGORIUS TURONENSIS L. 4. cap. 24. ad annum 7 Childeberti Regis, qui Dionysiano 582 respondet: *GUNDOBALDUS, qui se FILIUM CHLOTHARII REGIS esse dicebat, de Constantinopoli veniens, Massiliam est advectus: de cujus origine quædam strictim libuit memorare. Hic cum natus esset in Galliis, & diligenti cura nutritus, ut regum istorum mos est, crinium flagellis per terga demissis, literis eruditus, Childeberto regi a matre præsentatur, dicente ea: Ecce, inquit, nepotem tuum Chlotharii regis filium. Et quia invisus habetur patri, suscipe eum, quia caro tua est. Quem ille eo, quod ei filii non essent, accipiens, retinebat secum. Nunciantur hæc regi Chlothario, misitque fratri nuncios dicens: Dimitte puerum, ut veniat ad me. Nec moratus ille, juvenem patri direxit. Quo viso, Chlotharius jussit tonderi comam capitis ejus, dicens: Hunc ego non generavi. Igitur post Chlotharii regis obitum, a Chariberto rege susceptus est (561) quem Sygibertus arcessitum iterum amputavit comam capitis ejus, & misit eum in Agrippinensem civitatem, quæ nunc Colonia dicitur. Ille quoque ab eo loco delapsus, dimissis iterum capillis, ad Narsetem abiit, qui tunc Italiæ præerat: ibi accepta uxore, filios procreavit, & ad Constantinopolim accessit. Inde et*

ut ferunt post multa tempora, a quodam (Guntchramno Bosone duce legato Francico ad Byzantinum imperatorem, vide l. 7. cap. 36,) *invitatus ut veniret in Gallias Massiliam appulsus a Theodoro episcopo susceptus est. Et ab eodem etiam acceptis equis, Mummolo duci conjunctus est* — Episcopo in custodiam rejecto, *Gundobaldus in insulam maris secessit, expectans eventum rei.* Libro VII cap. 10: *Anno nono Childeberti, 584, Morabatur tunc Mummolus intra muros Avennicæ urbis,* (Avignon,) *cum Gundobaldo — qui conjunctus cum supradictis Lemovicinum accedit, Brivam Curretiam vicum* (Brive-la-Gaillarde en Limosin) *advenit: IBIQUE PARMÆ SUPERPOSITUS REX EST LEVATUS. Sed cum tertio cum eodem gyrarent, cecidisse fertur, ita ut vix manibus circumstantium sustentari potuisset. Deinde ibat per civitates in circuitu positas.* — Subjungit AIMOINUS l. 3. cap. 61: *Erat enim talia agerentur mensis decimus, apparueruntque in vineis pampini cum uvis ad plenum formatis & in arboribus flores.* Decembri itaque mense 584 Rex declaratus. GREG: Cap. 14: Gunthcramnus Rex exprobat Gunthcramno Bosoni — *ante hos annos orientem adgressus es, ut Ballomerem* (suppostititium falsum principem) *quendam super regnum nostrum adduceres — addidit rex: Omnibus autem hæc causa animos accendere debet, ut repellatur de finibus nostris advena, cujus pater molendina gubernavit: & ut vere dicam, pater ejus pectinibus insedit, lanasque composuit — Tum Gunthcramnus movet exercitum 585.* Cap. 24: Gundobaldus Pictavum & regnum Childeberti sibi subjicit, Engolismam, Petragoricum, cap. 26, Tholosam expugnat, cap. 27. Denique se includit Convennis (*Cominge*) ad Garonnam fluvium, quam urbem Gunthcramnus rex obsidet cap. 34. 36. 37. Mummolus, Bladaster Waldo, ceterique Duces partium Gundobaldi atque Episcopi cernentes, rem male sibi cessuram, persvadent Gundobaldo, se tradere Gunthcramno regi. *Egressi igitur,* pergit Turonensis cap. 38 *portam ab Ollone Biturigum Comite & Bosone susceptus est — Cumque a porta se elongassent — impulsus ab Ollone cecidit, illo quoque clamante: En vobis Ballomerem vestrum, qui se Regis & fratrem dicit & filium. Et immissa lancea voluit eum transfigere, sed repulsa a circulis loricæ nihil nocuit. Denique cum elevatus ad montem regredi niteretur, Boso emisso lapide caput ejus libravit, qui cecidit & mortuus est. Venitque omne vulgus & defixis in eum lanceis, pedes ejus fune ligantes per omnia exercituum castra traxerunt: evellentesque cæsariem ac barbam ejus, insepultum ipso in loco, quo interfectus fuerat, reliquerunt,* urbemque direptam funditus deleverunt anno 585. Filii, quos juxta cap. 36 duos generavit, in Hispania posthæc latuere unde alterum in conjugium sibi adsciscere enisa Brunechildis legitur anno 589, in capitibus 28 & 32 libri Noni TURONENSIS.

BLITHILDIS
filia ficta Clotharii I.

Effinxerat Hincmarus Rhenensis, quo gratiam aucuparet Caroli Calvi, Clotharium I Regem, satorem Carolidarum, eamque ob causam filiam ipsi tribuerat Blithildem ignoti cujusdam Ansberti conjugem, aviam Arnulphi sancti. Autoritate sua sequiores ævi cunctos scriptores in eandem compulit sententiam, ut fictio veri naturam induisse videretur. Adeo constanter ad Blithildem Clotharii filiam referebatur origo Carolidarum, quamvis non satis inter se convenirent Sectatores, quem Clothariorum primum ne an secundum creparent Blithildis patrem. Certe secundus insigni parachronysmo laborabat. Recurrendum itaque ad Primum. Atque huic per octingentos annos concessus honor fuit genitæ Blithildis, donec seculo superiori Historias Francorum rimantibus, impositio HINCMARI innotesceret. Nec enim GREGORIUS TURONENSIS, curatissimus Meroveadarum utriusque gentis principum indagator ejus meminit, nec, qui ex ore Caroli Magni proavos majoresque ejus didicerat, PAULUS DIACONUS, cum in libro de Episcopis Metensibus Genealogiam Caroli M. fuse enarrat, de ea quod inaudivit, sed originem gentis præeunte Carolo, Arnulphum sanctum constituit, omissis Blithilde, reliquisque lacunam Blithildim inter & Arnulphum exhaurientibus. Certissimo indicio, neque Carolo Magno de ea constitisse, qui utique in laudibus gentis suæ posuisset ex sanguine Merovei ortum ducere, neque ante HINCMARUM ullibi Blithildis memoriam extitisse. Moverunt hæ rationes CANTERELLUM FABRUM (*Chantereau le Febure*) ut singulari libro Blithildem ex gente Meroveadarum exploderet, solidisque argumentis demonstraret, ipsam ex ingenio tantum HINCMARI abblandientis suo Carolo Calvo coronando propullulasse. Historicorum vero gregem cæcutientium vehementer eo concussit, ut sibi temperare nequiverint, quin undecumque tela in eum fibrarent, quæ feliciter Apologia eis opposita detorsit. Posthæc enim emunctioris naris quilibet adulatione Hincmari cognita Blithildem abire jusserunt, nec superest, qui ipsi inter Clotharii liberos concedat locum. Cæterum in fine Tabulæ subjungendum arbitramur

LICI-

LICINIUM Episcopum Andegavensem, consangvineum Regum Francorum.

ANONYMUS ANDEGAVENSIS, qui Vitam ejus composuit non ita longe post Licinii fata, pleraque a discipulis Licinii edoctus in Act. Antw. ad 13 Febr. cap. 1: *Beatissimus*, infit, *LICINIUS Episcopus, prosapia Regum genitus Francorum --- cum jam pleniter edoctus ad roboratam pervenisset ætatem, protinus pater ejus commendavit eum CLOTHARIO REGI FRANCORUM, CUJUS ET CONSANGVINEUS PROXIMUS ERAT. Nam & pater prædicti S. Licinii Satrapa antedicti Clotharii Regis erat, atque inter proximos ejus superiorem locum tenebat --- Rex eum --- Comitem sui stabuli & omnium equorum, custodemque eorum constituit. --- § 9: --- relictis omnibus, militiæ spirituali & clericali se tradidit, & Domino soli vacare studuit. Nam antea Comes atque Dux Andegavensium erat, & inter primos in Palatio jam dicti Regis pollebat.* Cap 2: *Cumque --- Andegavensium urbs Præsule indigeret, tunc copiosa multitudo --- consona voce in invicem & in Pontificem sibi fore eligere disponebant. Optimates vero atque viri illustrissimi, qui eo tempore Rectores Palatii videbantur, glorioso memorato Clothario Francorum Regi ejus consangvineo famam beati viri innotescunt. --- Tunc --- cum Regis ejusdem imperio --- subrogatus est, ut præesset prædictæ Ecclesiæ Andegavensi --- Et inde factum est, ut etiam domesticam sollicitudinem atque primatum Palatii, ac si nolens, Regis cunctorumque Procerum suorum electione teneret.*

Ediderunt Bollandini socii aliam vitam S. Licinii Autore MARBODO, Redonensi Episcopo, in quo cap. I hæc leguntur: *Igitur Licinius clarissimo genere ortus, Reges enim Francorum in suis majoribus numeravit.* --- Probavit BOLLANDUS in Commentario prævio § 9 ex S. BERTRANNI Cenomanensis testamento, *sexto Kalendas Aprilis anno vigesimo secundo, regnantis gloriosissimi Domini Clotharii dato*, Licinium anno 618 cœlites jam interfuisse, quoniam in documento *Sanctæ memoriæ Licinii Episcopi* mentio fiat, epochaque Chlotarii ab anno 596 deducenda sit, quo post obitum Childeberti præter cætera loco Cenomannos quoque, ubi conditum testamentum, acquisivit Clotharius II. Ut itaque nullus superest scrupulus, quin Chlotarius heic intelligendus secundus, Chilperici filius, sic nulla conjectura assequendum, quo necessitudinis gradu Clotharium II. attigerit S. Licinius. Ex matre Clotharii non putamus, quoniam pater Licinii in aula Clotharii juvenculi celeberrimus, quodsi Fredegundis exstiterit ger-

manus, vel Turonensis vel Fredegarii notitiam non subterfugerit. Assunt aliquot filiæ regum, quarum nuptias maritosque ignoramus, earum quandam cum vel matrem vel aviam Licinii constituimus, haud quidem temere fecisse nobis videmur, nec tamen definimus.

ASSERTIONES
TABULÆ IV.

CHILPERICUS Rex, filius Clotharii I. ex Aregunde.

Etymon vocis in Carmine ad Chilpericum FORTUNATUS libro nono prodit:

Chilperice potens, si interpres barbarus extet
ADJUTOR FORTIS, hoc quoque nomen habes.

GREGORIUS TURONENSIS l. 4. cap. 1: *Chlotharius denique Rex --- septem filios habuit --- DE AREGUNDE vero sorore Ingundis CHILPERICUM.* Cap. 22: *Chilpericus vero post patris funera, thesauros, qui in villa Brannaco erant congregati, accepit --- & mox Parisios ingreditur sedemque Childeberti regis occupat, sed non diu hoc ei licuit possidere nam conjuncti fratres ejus, eum exinde repulere --- deditque sors --- Chilperico regnum Chlotharii patris ejus cathedramque Suessionas habere.* Inquietus princeps bellis civilibus cum fratribus fere perpetuo commiscetur Anno 574 & 575 cum Sigeberto, cap. 44. 45. quem per sicarios occidit 575, cap. 46. Anno 576 Campanos a Meroveo sollicitatos compescuit, L. 5. cap. 3. Cum Guntchramno belligerat, cap. 13. Anno 578 Britannos Venetosque eorumque sibi civitatem ad nexum fidei obligat, cap. 27. 30. Gravissima suis imponit tributa, cap. 29. Anno 580 libros Theologicos edidit, novasque litteras ex Græca lingua in suam transtulit, cap. 45. Legatos ad Tiberium Constantinopolin mittit, qui donis onusti redeunt 581, l. VI. cap. 2. Anno 581 filiis orbatus Childebertum hæredem decla-

CHILPERICUS I, Clotarii & Aregu
mense Septembri. Pag. 92
Uxor 1) AUDOVERA in Monasteriur
Regis Hispaniæ filia, ducta 567, fuf
Regina 568. Obiit 597. Pag 96.

I.
THEODOBERTUS captus a Sigiberto 561, dimissus 562, Cadit in bello cum Sigiberto 575. Pag. 96.

I.
MEROVEUS ducit Brunechildem 576. in carcerem missus. Tondetur 576. Aufugit Turonos 577. in Austrasiam 577. Insidiis Fredegundis perit 577 Dec. mense. Pag. 97.

I.
CHLODOVEUS in vincula conjectus cultro percussus obiit 580. Pag. 98.

I.
BASINA monialis Pictavis 580 destinatur Regi Hispano 584 Pag. 100.

CI
SI
n.
m
li
th
gi

I
MEROVEUS natus circa 600 missus cum imperio contra Bertoaldum Austrasiæ Ducem 604, captus 605, interiit mandato Brunechildis. Pag. 108.

I.
FILIUS moritur juvenis. Pag. 109.

DAGOBERT
Monarcha 628
1) GOMATR
2) NANTIL
3) RAGENE
5) I

* * *
GRIMO ADALGASILUS Nepos Dagoberti Regis, Diaconus Verdunensis, Pag. 112.

* * *
CHILDEBERTUS GRIMOALDI filius, intrusus Rex Austrasiæ Februar. 655, dejectus eodem anno. Pag. 125.

3.
SIGIBERTUS III natus 630 R
Uxor IMNICHILDIS. Pag. 12

BILICHILDIS nupta CHILDERICO Regi Austrasiæ 660. Pag. 125.

DAGOBER
Redux fit F
Occisus 678

IRMINA sponsa HERMANNI Comitis, Abbatissa Horrei. Condit Testamentum 701. Pag. 133.

ADELA nupta Ig
Pag. 13

ALBI

I.
FILII a latronibus occisi. Pag. 137.

declarat, cap. 3. Anno 581 Gunthramno per Desiderium Ducem, Petrogoricum, Aginnum, Tholosam, & alias urbes in illa parte eripit, cap. 12. Sequenti tamen anno pacem percussit, cap. 19. retentis urbibus, cap. 22. Anno 583 depopulatus iterum Guntheramni regnum cum superveniente eo reconciliatur, cap. 31. *Anno 584 advenientibus Kalendis Septembribus Gothorum magna legatio ad regem Chilperitum accedit --- CHILPERICUS NERO NOSTRI TEMPORIS & Herodes, ad villam Calensem, quæ distat ab urbe Parisiaca quasi centum stadiis accedit, ibique venationes exercet. Quadam vero die regressus de venatione, jam subobscura nocte, dum de equo susciperetur, & unam manum super scapulam pueri retineret, adveniens quidam, eum cultro percutit sub ascellam, iteratoque ictu ventrem ejus perforat. Statimque profluente copia sangvinis tam per os quam per aditum vulneris iniquum fudit spiritum. --- Mallulfus autem Silvanectensis Episcopus --- ut eum interemptum audivit, advenit, ablutumque vestimentis melioribus induit --- & in Basilica sancti Vincentii, quæ est Parisiis, sepelivit, Fredegunde Regina in ecclesia derelicta.* Hæc GREGORIUS TURONENSIS l. 6. cap. 45, & 46. ex quibus prono fluit alveo, Chilpericum vel Septembri vel sub initium Novembris occisum esse, & quidem insidiis Fredegundæ uxoris adulteræ, sic enim GESTA FRANCORUM EPITOMATA cap 35: -- *Erat autem Fredegundis regina pulcra & ingeniosa nimis & adultera. Landericus quoque erat tunc in aula Regis Chilperici vir efficax atque strenuus, ad quem memorata regina diligebat multum, quia luxuria commiscebatur cum ea. Quadam die maturius mane, cum Rex ad venationem exercendam de villa Callinia* (Chelles locus monasterio inclytus) *in Parisiaco dirigeret, cum nimis ipsam Fredegundem diligeret, reversus in Camera Palatii de stabulo equitum, illa caput suum abluens aqua in ipsa Camera; Rex vero retro veniens eam in natibus suis de fuste percussit. At illa cogitans, quod esset Landricus, ait: Quare sic facis Landrice. Respiciens sursum vidit, quod rex esset, expavit vehementer. Rex vero nimis tristis effectus in ipsam venationem perrexit. Fredegundu itaque vocavit ad se Laudericum,* & jubet, ut Regem opprimeret, qui vitæ metuens scelus perpatravit. Addunt: *regnavit annos XXIII*, qui inter annum 561 & 584 cucurrere. Confirmat annum mortis Epocha Clotharii filii, qua APPENDIX ad MARII Chronicon utitur apud DUCHESNIUM T. I. pag. 217: *Fiunt igitur ab exordio mundi usque in Heram præsentem id est XIV Heraclii, & XL Clothacarii Regis annum anni 5822.* Colligantur annus Heraclii 14 & Clothacarii 40. Ille initium sumsit 6 Octobris 623, & cucurrit fere per integrum annum 624, huic congruebat annus quadragesimus Clotharii. Ergo exordium primi anni ejus maximam partem 585 complexi in annum 584 incidit, quo Chilpericus occisus. FREDEGARIUS Epitome, cap. 93, Brunechildin insimulans criminis, *Chilpericus*, ait, *ad Calam villam, nec procul a*

Parisiis,

Parisiis, ab homine nomine Falcone, qui missus a Brunichilde fuerat, est interfectus. ANSELMUS in Hist. Geneal. de France, anno ætatis 61 trucidatum vult, natus itaque esse debuit anno 523. Unde hæc tueatur, nescio. Vereor tamen, ut recte annotarit annos ætatis. Clotharius enim pater anno 514 demum Gundeucam primam uxorem duxit, tum Ingundem, & post aliquot ex ipsa susceptos filios, Aregundem matrem Chilperici. Accedit porro, quod Chilpericus filiorum Clotharii a Turonensi semper ultimus nominetur, adeoque junior fuerit, necesse est, Sigeberto, quem anno 535 in lucem editum suo loco probavimus. Quodsi itaque quinquaginta unum vel alterum ætatis attigisse annum concedimus, satis superque concessum quilibet opinabitur. In Ecclesia Sancti Vincentii hodie S. Germani sepultum Chilpericum vidimus, Repertum anno 1643 in porticu Ecclesiæ monumentum duplex, inque horum altero inventa verba: *Tempore nullo volo hinc tollantur ossa Hilperici*, &: *Precor ego Ilpericus, non auferrantur hinc ossa mea.* Judicarunt plerique Chilperici & Fredegundis sepulchrum, at refellit opinionem MABILLONIUS ὁ πάνυ in dissertatione de sepulchris Francorum Regum antiquis, Ilpericumque a Chilperico Rege alium ibi demonstravit reconditum.

AUDOVERA
Conjux prior Chilperici.

GREGORIUS TURONENSIS l. 4. cap. 20: --- *Habebat autem tunc Chilpericus tres filios de AUDOVERA priore regina sua, id est Theodobertum, cujus supra meminimus, Meroveum atque Chlodoveum,* tunc cum dimitteretur ob Galswintham Hispaniam anno 567. Repetunt hæc GESTA FRANCORUM EPITOMATA subjunguntque statim cap. 31: *Nunc autem ad cepta redeamus, qualiter Fredegundis dominam suam Audoveram reginam decepit. Nam ipsa FREDEGUNDIS ex familia infima fuit. Cum autem Chilpericus Rex in hostem cum Sighiberto fratre suo contra Saxones ambulasset,* expeditionem alteram Sigiberti contra Hunnos Saxonesque conjunctos anno 566 susceptam innuit, *AUDOVERA regina gravida remansit, quæ peperit FILIAM. Fredegundis vero per ingenium consilium ei dedit ei dicens: Domina mea, ecce Dominus Rex victor revertitur, quomodo potest filiam suam gratanter recipere non baptisatam. Cum hæc audisset regina, baptisterium parare præcepit, vocavitque Episcopum, qui eam baptisare deberet. Cumque Episcopus adfuisset, non erat matrona ad præsens, quæ puellam suscipere deberet. Et ait Fredegundis: Num quid similem tui invenire poterimus, quæ eam suscipiat. Modo tumet*

ipsa

ipsa suscipe eam. Illa vero hæc audiens, de sacro fonte eam suscepit. Veniens autem, exiitque Fredegundis obviam ei, dicens: Deo gratias, quia Dominus noster Rex victoriam recepit de adversariis suis, nataque tibi est filia, cum qua dominus meus Rex dormiet hac nocte? quia domina mea Regina commater tua est de filia tua CHILDESINDE. *Et ait ille: Si cum illa dormire nequeo, dormiam tecum. Cumque introisset Rex in aulam suam, occurrit ei adorare regina cum ipsa puella. Et ait ei Rex: Nefandam rem fecisti per simplicitatem tuam: jam conjux mea esse non poteris amplius. Rogavitque eam sacro velamine cum ipsa filia sua, deditque ei prædia multa & villas. Fredegundam vero copulavit ad reginam.* Detrusa in monasterium anno 566 Rothomagi, quam urbem teste TURONENSI l. 5, cap. 2, *Meroveus simulans ad matrem suam ire velle, petiit* ut Brunechildem sibi conjungeret uxorem anno 576. *Crudeli* tandem post fata filii Chlodovei, *morte necata* anno 580, quod ex TURONENSI probatum dabimus in Chlodoveo.

GALSWINDA
Uxor altera Chilperici.

GREGORIUS TURONENSIS l. 4. cap. 28: *Quod* conjugium Sigeberti & Brunechildis *videns Chilpericus Rex, cum jam plures haberet uxores, sororem ejus* (Brunechildis) GALSVINTHAM *expetiit, promittens per legatos, se alias relicturum. --- Pater vero ejus* Athanagildus Hispaniæ Rex --- *filiam suam sicut* (quamvis) *anteriorem, similiter ipsi cum magnis opibus destinavit. Nam Galsvintha ætate senior quam Brunichildis erat. Quæ cum ad Chilpericum regem venisset, cum grandi honore suscepta, ejusque est sociata conjugio. A quo etiam magno amore diligebatur, detulerat enim secum magnos thesauros, sed per amorem Fredegundis, quam prius habuerat, ortum est inter eos grande scandalum. --- Ad extremum eum suggillari jussit à puero, mortuamque reperit in strato --- Rex autem cum eam mortuam deflesset, post paucos dies Fredegundem recepit in matrimonio. Post quod factum reputantes ejus fratres, quod sua emissione antedicta regina fuerit interfecta, eum à regno dejiciunt.* Ductam fuisse anno 567, series Chronica demonstrat, Rothomagi nuptias celebratas ex FORTUNATI versibus de Galesvintha libro VI cap. 7 patet: Galesvintha ait, *pervenit qua se piscoso Sequana fluctu in mare fert juncto Rothomagense sinu. Jungitur ergo thoro regali culmine virgo, & magno meruit plebis amore coli.* Dos illi constituta in civitatibus *Burdegala, Lemovica, Cadurco, Benarno & Begorra, quas Gailesvindam germanam domnæ Brunichildis tam in dote quam in morganegiba, hoc est matutinali dono in Franciam venientem certum est adquisisse.* Verba sunt PACTI ANDELAENSIS apud GREGORIUM TURONENSEM l. 9,

l. 9, cap. 20. AIMOINUS l. 3. cap. 5 habet: *Fredegundam offensam novæ nuptæ aspectibus invisis, exiguo prope temporis intervallo tantum adulandi arte prævaluisse, ut se conjugio regis reddiderit.* Manifestum inde, conjugium Galswindæ vix per annum durasse, ipsamque sub initium anni 568 laqueo vitam finivisse. Genus mortis siluit FORTUNATUS, breve tamen conjugii tempus in Carmine laudato his versibus indicat:

Nam breve tempus habens, consorte nexa jugalis
principio vitæ funere rapta fuit.
Præcipiti casu volucri præventa sub ictu
deficit, & verso lumine lumen obit.

FREDEGUNDIS
tertia Chilperici Conjux.

Infima gente natam Chilperici secretis primum implicatam amoribus tum publice 568 Reginæ honoribus ornatam, regiam domum cædibus vastasse regemque, veritam ne furta innotescerent, letho dedisse ex Turonensi atque aliis monumentis fide dignis retulimus. Scelestam denique facinorosa mulier posuit vitam anno 597. FREDEGARIUS Chronico cap. 17: *Anno II regni Theuderici,* qui anno 596 patrem exceperat, *Fredegundis moritur,* ætatis quinquagesimo anno, quod asserit ex conjectura VALESII ANSELMUS Pater toties nobis laudatus. AIMOINUS l. 3, cap 86, ex GESTIS EPITOMATIS cap. 37 depontanam fere prædicat. *Anno secundo regni Theodoberti ac Theodorici, Fredegundis regina senex & plena dierum defuncta est, ac in Basilica Sancti Vincentii,* (nunc S. Germain de Prêz) *in suburbio Parrisiensi sepulta.* Ubi monumentum hodie adhuc cernitur, a RUINARTO in Appendice Turonensis, MABILLONIO Annalibus, & postremum ECCARDO Wurtzburg. pag. 159. exhibitum.

THEODOBERTUS
filius Chilperici ex Audovera.

GREGORIUS TURONENSIS l. 4, cap. 23: *Post mortem Chlotharii*

(561)

(*561*) --- *Sygibertus victor a Chunis Svessionas civitatem occupat, ibique inventum THEODOBERTUM CHILPERICI regis FILIUM adprehendit, & in exilium transmittit. Accedens autem contra Chilpericum, bellum commovit, quo victo atque fugato, civitates suas in suam dominationem restituit. Theodobertum vero filium ejus apud Ponticonem villam custodiri jussit per annum integrum, quem postea, ut erat clemens, muneribus ditatum patri reddidit sanum* anno 562. *Cap. 45 :* Renascente bello Chilpericum inter & Sigebertum --- *Sygibertus --- contra fratrem suum ire disponit, mittens nuncios Dunensibus & Turonicis, ut contra Theodobertum ire deberent. Quod illi dissimulantes, rex Godegisilum & Guntheramnum duces in capite dirigit. Qui commoventes exercitum adversus eum pergunt. At ille* Theodobertus *derelictus a suis, cum paucis remansit, sed tamen ad bellum exire non dubitat. Ineuntes autem prælium, Theodobertus evictus, in campo prosternitur, & ab hostibus exanime corpus, quod dici dolor est, spoliatur. Tunc ab Arnulfo quodam collectus, ablutusque ac dignis vestibus est indutus, & ad Engolismensem civitatem sepultus* anno 575, eodem, quo Sigebertus insidiis Chilperici periit.

MEROVEUS
filius Chilperici ex Audovera.

GREGORIUS TURONENSIS l. 5, cap. 2 : *Interempto Sigiberto --- Chilpericus FILIUM SUUM MEROVEUM cum exercitu Pictavos dirigit. At ille relicta ordinatione patris, Turonos venit, ibique & dies sanctos paschæ tenuit --- Ipse vero simulans ad matrem suam ire velle Rothomagum petiit, & ibi Brunechildi Reginæ conjungitur,* media æstate 576. *Hæc audiens Chilpericus, quod scilicet contra fas legemque Canonicam uxorem patrui accepisset --- ad --- oppidum dirigit.* Illi confugiunt in Ecclesiam, Chilpericus vero demulsos inde extrahit, *epulavit cum eis. Post dies vero paucos adsumpto secum Rex Meroveo, Svessionas rediit.* Cap. 3 : *aliqui de Campania Svessionas urbem adgrediuntur. --- Rex propter conjugationem Brunichildis, suspectum habere cœpit Meroveum filium suum, dicens : hoc prælium ejus nequitia surrexisse spoliatumque armis, datis custodibus libere custodiri præcepit, tractans quid de eo in posterum ordinaret.* Cap. 14 : Anno 576, *Post hæc Meroveus cum in custodia a patre retineretur, tonsuratus est, mutataque veste, qua clericis uti mos est, Presbyter ordinatur, & ad monasterium Cœnomannicum, quod vocatur Aninsula* (hodie S. Carilelphi vulgo S. Cales) *dirigitur. ut ibi sacerdotali erudiretur regula.* Elapsus inde, in templum B. Martini Turonis aufugit. Pater cum exercitu illum ablaturus advenit. *Anno secundo Childeriei 577 --- Meroveus --- ad Brunichildem pergere cogitat. --- Et ingressus Basilicam --- orat, ut sibi sanctus*

 Martinus

Theodorici, at vero tunc Clotharius tot tantaque negotia facessivit Sigeberto juveni 12 annorum, ut neque sponsam neque nuptias curare posset. Hinc vereor, an recentiori Autori fides in omnibus habenda sit, præsertim cum THEODORUS, Monachus S. Galli, in Vita S. Magni sive Magnoaldi apud CANISIUM, & SURIUM, ad 6 Sept. cap. 9. p. 75 sanatæ quidem Gunzonis, *Ducis ex provinciis Augustente & Retiæ*, filiæ meminerit, sed neque nomen ejus, neque de nuptiis cum Sigeberto ineundis verbulum adjecerit, & præterea ex ipso appareat, ea, quæ de Sigeberto Theodorici filio STRABO narrat, de Sigeberto Rege Dagoberti filio esse intelligenda, cur Gunzonis filiam desponsam omnino negare erubescimus.

THEUDELANE
filia Childeberti II. & Brunechildis.

Commemorat FREDEGARIUS eam in causa fuisse, ut Hispana sponsa odiosa reddita sit Theodorico, quo mortuo captam a Chlothario refert cap. 42: *Fusis fugatisque Theodorici filiis --- factione Warnarii majoris Domus* Sigoberti --- *Brunnichildis ab Erbone Comestabuli de pago Ultra Jurano ex villa Urba, una cum THEUDELANE GERMANA THEUDERICI producitur, & Chlothario in Ronava Vico super Vincennam fluvium præsentatur, (613.)* Cap. 43: *Cum anno XXX regni sui in Burgundia & Austria regnum arripuisset* Clotarius, *Erponem ducem genere Francum loco Theudelanis in pago Ultra Jurano instituit.* Patescit hinc, Theudelani pagum istum vel a patribus, an avia, concessum quondam fuisse nunc vero ereptam. Quæ postea subient fata, penitus ignorantur.

Filia Clotharii I.
ex Ingunde.

VITA sanctæ CONSORTIÆ apud DUCHESNIUM T. I. pag. 549: --- *Sancta Consortia --- ad CHLOTARIUM Regem Francorum ire perrexit --- CUJUS FILIA multo jam tempore ægrotabat --- Rex --- cubiculum eam fecit intrare, ubi puella febribus correpta jacebat --- salutavit puellam, dicens: Pax tecum. Cui illa --- statim quippe ut tu in Palatium introisti, me febris dimisit qua torquebar, & ecce sana effecta sum. --- Mortuo Rege Chlotario, missus est unus ex primoribus Palacii Hecca nomine a SIGEBERTO, qui patri suo in regnum successerat, ut Provinciam Massiliæ disponeret,* Is cum Consortiam ducere vellet, casu interiit. *Pueri ---*

ad

ad regem festinato regressi nunciaverunt, quæ viderant. Erat ille dies natalis Regis & GERMANÆ EJUS, quam sancta Consortia ab infirmitate curaverat, circa Regem discumbens cum videret eum de nuncio contristari, inquirit ab eo causam. --- Anonymam hanc filiam Clotharii ex Ingunde susceptam suspicamur, quod germana Sigeberti audiat, ipsaque in aula Sigeberti potissimum versata sit.

CHRAMNUS filius Clotharii I. ex Gusinane, & Chalda Uxor.

GREGORIUS TURONENSIS l. 4. cap. 3: *Chlotharius --- Rex --- de Chunsena habuit Chramnum* --- Cap. 9: --- *Chlotarius Rex regnum* Theodubaldi *accepit --- dirigens Arvernum Chramnum filium suum (555)* ubi constitutus Rex multa mala perpatravit quæ capite 13 legi possunt. Cap. 16: --- *Chramnus autem (cui pater vices suas per Aquitaniam commiserat* AIMOINUS l. 2. cap. 28.) *ab Arverno regressus ad Pictavorum civitatem venit. Ubi cum in magna potentia resideret, seductus per malorum consilium ad Childebertum patruum suum transire cupit, patri insidias parare disponens --- fœdere inito Lemovicinum rediit, & illud per quod prius ambulaverat in regno patris sui, in sua dominatione redegit.* Hinc bellum civile anno 556. Cap. 17: *Tunc, anno 556, Chramnus jam accepta* WILIACHARII FILIA *Parisios accedens, secum Childebertum regem constringit in fide atque charitate, jurans se patri esse certissimum inimicum.* Cap. 20: *Childebertus rex --- obiit (558.) --- Chramnus autem patri repræsentatur, sed postea infidelis extitit. Cumque se cerneret evadere non posse, Britanniam petiit: ibique cum Conoobro, Britannorum Comite, ipse & UXOR EJUS ac FILIÆ latuerunt. Wiliacharius autem socer ejus ad basilicam sancti Medardi confugit. --- Chlotharius autem rex contra Chramnum frendens, cum exercitu adversus eum in Britanniam dirigit. --- Confligentibus igitur pariter, Britannorum Comes terga vertit, ibique & cecidit: denique Chramnus fugam iniit, naves in mari paratas habens, sed dum uxorem & filias suas liberare voluit, ab exercitu patris oppressus, captus & ligatus est. Quod cum Chlothario Regi nunciatum fuisset, jussit eum cum uxore & filiabus igni consumi: inclusisque in tugurio cujusdam pauperculæ, Chramnus super scamnum extensus orario suggillatus est, & sic postea super eos incensa casula, cum uxore & filiabus interiit.* Cap. 21: *Rex vero Chlotharius --- obiit post annum decurrentis anni diem, quo Chramnus fuerat interfectus.* Obiit pater anno 561, hinc crematus Chramnus anno 560.

MARIUS AVENTICENSIS pag. 214: *P. C. Basilii anno XIV Indict. III. --- Eo anno Chramnus filius Chlothacarii Regis, sollicitante Childeberte patruo suo, ipsum*

ipſum latebram dedit. --- P. C. Baſilii anno XV Indict. IV --- Ipſis diebus Chramnus collecto exercitu regionem patris ſui devaſtat. --- P. C. Baſilii anno XIX Indict. VIII. --- Eo anno Chramnus poſt ſacramenta, quæ patri dederat, ad Britannos petiit, & moliens Regnum patris invadere, adverſus ipſum cum Britannis movere auſus eſt; multaque loca graviter deprædavit. Ad cujus inſaniam reprimendam pater eum exercitu properavit, & interfecto Comite Britannorum, Chramnum vivum cepit, incenſumque cum uxore, & filiis, totius regionis incidit excidium. Indictio III incidit in annum 555. IV in 556. VIII in annum 560. CONTINUATOR MARCELLINI COMITIS eadem fata Chramni enarrat, ſed ut plerumque ſolet, duobus annis prius refert quam accidère.

GESTA FRANCORUM EPITOMATA cap. 28. verbis Turonenſis inſerunt: *Sed Chramnus noluit juſſum patris implere durius agens, Duxitque Willebari filiam ſibi in uxorem nomine CHALDAM* ---

AIMOINUS l. 2. cap. 30: *Cui* Chramno *nobilitas conjugis, odiorum ſuppeditabat materiam, quod præemineret proſapiæ claritudine: ei nomen CALTE, WILLECARIO GENITA Aquitaniæ duce,*

GUNDOBALDUS Rex fictus Clotharii I. filius.

GREGORIUS TURONENSIS L. 4. cap. 24. ad annum 7 Childeberti Regis, qui Dionyſiano 582 reſpondet: *GUNDOBALDUS, qui ſe FILIUM CHLOTHARII REGIS eſſe dicebat, de Conſtantinopoli veniens, Maſſiliam eſt advectus: de cujus origine quædam ſtrictim libuit memorare. Hic cum natus eſſet in Galliis, & diligenti cura nutritus, ut regum iſtorum mos eſt, crinium flagellis per terga demiſſis, literis eruditus, Childeberto regi a matre præſentatur, dicente ea: Ecce, inquit, nepotem tuum Chlotharii regis filium. Et quia inviſus habetur patri, ſuſcipe eum, quia caro tua eſt. Quem ille eo, quod ei filii non eſſent, accipiens, retinebat ſecum. Nunciantur hæc regi Chlothario, miſitque fratri nuncios dicens: Dimitte puerum, ut veniat ad me. Nec moratus ille, juvenem patri direxit. Quo viſo, Chlotharius juſſit tonderi comam capitis ejus, dicens: Hunc ego non generavi. Igitur poſt Chlotharii regis obitum, a Chariberto rege ſuſceptus eſt (561) quem Sygibertus arceſſitum iterum amputavit comam capitis ejus, & miſit eum in Agrippinenſem civitatem, quæ nunc Colonia dicitur. Ille quoque ab eo loco delapſus, dimiſſis iterum capillis, ad Narſetem abiit, qui tunc Italiæ præerat: ibi accepta uxore, filios procreavit, & ad Conſtantinopolin acceſſit. Inde ut*

ut ferunt post multa tempora, a quodam (Guntchramno Bosone duce legato Francico ad Byzantinum imperatorem, vide l. 7. cap. 36,) *invitatus ut veniret in Gallias Massiliam appulsus a Theodoro episcopo susceptus est. Et ab eodem etiam acceptis equis, Mummolo duci conjunctus est* --- Episcopo in custodiam rejecto, *Gundobaldus in insulam maris secessit, expectans eventum rei.* Libro VII cap. 10 : *Anno nono Childeberti, 584, Morabatur tunc Mummolus intra muros Avennicæ urbis,* (Avignon,) *cum Gundobaldo --- qui conjunctus cum supradictis Lemovicinum accedit, Brivam Curretiam vicum* (Brive - la - Gaillarde en Limosin) *advenit : IBIQVE PARMÆ SUPERPOSITUS REX EST LEVATUS. Sed cum tertio cum eodem gyrarent, cecidisse fertur, ita ut vix manibus circumstantium sustentari potuisset. Deinde ibat per civitates in circuitu positas.* --- Subjungit AIMOINUS l. 3. cap. 61 : *Erat dum talia agerentur mensis decimus, apparueruntque in vineis pampini cum uvis ad plenum formatis & in arboribus flores.* Decembri itaque mense 584 Rex declaratus. GREG: Cap. 14 : Gunthcramnus Rex exprobat Gunthcramno Bosoni --- *ante hos annos orientem adgressus es, ut Ballomerem* (suppositititium falsum principem) *quendam super regnum nostrum adduceres --- addidit rex : Omnibus autem hæc causa animos accendere debet, ut repellatur de finibus nostris advena, cujus pater molendina gubernavit : & ut vere dicam, pater ejus pectinibus insedit, lanasque composuit --- Tum Gunthcramnus movet exercitum 585.* Cap. 24 : Gundobaldus Pictavum & regnum Childeberti sibi subjicit, Engolismam, Petragoricum, cap. 26, Tholosam expugnat, cap. 27. Denique se includit Convennis (*Cominge*) ad Garonnam fluvium, quam urbem Gunthcramnus rex obsidet cap. 34. 36. 37. Mummolus, Bladaster Walddo, ceterique Duces partium Gundobaldi atque Episcopi cernentes, rem male sibi cessuram, persvadent Gundobaldo, se tradere Gunthcramno regi. *Egressi igitur,* pergit Turonensis cap. 38 *portam ab Ollone Biturigum Comite & Besone susceptus est --- Cumque a porta se elongassent --- impulsus ab Ollone cecidit, illo quoque clamante : En vobis Ballomerem vestrum, qui se Regis & fratrem dicit & filium. Et immissa lancea voluit eum transfigere, sed repulsa a circulis loricæ nihil nocuit. Denique cum elevatus ad montem regredi niteretur, Boso emisso lapide caput ejus libravit, qui cecidit & mortuus est. Venitque omne vulgus & defixis in eum lanceis, pedes ejus fune ligantes per omnia exercituum castra traxerunt : evellentesque cæsariem ac barbam ejus, insepultum ipso in loco, quo interfectus fuerat, reliquerunt,* urbemque direptam funditus deleverunt anno 585. Filii, quos juxta cap. 36 duos generavit, in Hispania posthæc latuere unde alterum in conjugium sibi adsciscere enisa Brunechildis legitur anno 589, in capitibus 28 & 32 libri Noni TURONENSIS.

M BLI-

BLITHILDIS
filia ficta Clotharii I.

Effinxerat Hincmarus Rhenensis, quo gratiam aucuparet Caroli Calvi, Clotharium I Regem, satorem Carolidarum, eamque ob causam filiam ipsi tribuerat Blithildem ignoti cujusdam Ansberti conjugem, aviam Arnulphi sancti. Autoritate sua sequiores ævi cunctos scriptores in eandem compulit sententiam, ut fictio veri naturam induisse videretur. Adeo constanter ad Blithildem Clotharii filiam referebatur origo Carolidarum, quamvis non satis inter se convenirent Sectatores, quem Clothariorum primum ne an secundum creparent Blithildis patrem. Certe secundus insigni parachronysmo laborabat. Recurrendum itaque ad Primum. Atque huic per octingentos annos concessus honor fuit genitæ Blithildis, donec seculo superiori Historias Francorum rimantibus, impositio HINCMARI innotesceret. Nec enim GREGORIUS TURONENSIS, curatissimus Meroveadarum utriusque gentis principum indagator ejus meminit, nec, qui ex ore Caroli Magni proavos majoresque ejus didicerat, PAULUS DIACONUS, cum in libro de Episcopis Metensibus Genealogiam Caroli M. fuse enarrat, de ea quod inaudivit, sed originem gentis præeunte Carolo, Arnulphum sanctum constituit, omissis Blithilde, reliquisque lacunam Blithildim inter & Arnulphum exhaurientibus. Certissimo indicio, neque Carolo Magno de ea constitisse, qui utique in laudibus gentis suæ posuisset ex sanguine Merovei ortum ducere, neque ante HINCMARUM ullibi Blithildis memoriam extitisse. Moverunt hæ rationes CANTERELLUM FABRUM (*Chantereau le Febure*) ut singulari libro Blithildem ex gente Meroveadarum exploderet, solidisque argumentis demonstraret, ipsam ex ingenio tantum HINCMARI abblandientis suo Carolo Calvo coronando propullulasse. Historicorum vero gregem cœcutientium vehementer eo concussit, ut sibi temperare nequiverint, quin undecumque tela in eum vibrarent, quæ feliciter Apologia eis opposita detorsit. Posthæc enim emunctioris naris quilibet adulatione Hincmari cognita Blithildem abire jusserunt, nec superest, qui ipsi inter Clotharii liberos concedat locum. Cæterum in fine Tabulæ subjungendum arbitramur

LICI-

LICINIUM Episcopum Andegavensem, consangvineum Regum Francorum.

ANONYMUS ANDEGAVENSIS, qui Vitam ejus composuit non ita longe post Licinii fata, pleraque a discipulis Licinii edoctus in Act. Antw. ad 13 Febr. cap. 1: *Beatissimus, inquit, LICINIUS Episcopus, prosapia Regum genitus Francorum --- cum jam pleniter edoctus ad roboratam pervenisset ætatem, protinus pater ejus commendavit eum CLOTHARIO REGI FRANCORUM, CUJUS ET CONSANGVINEUS PROXIMUS ERAT. Nam & pater prædicti S. Licinii Satrapa antedicti Clotharii Regis erat, atque inter proximos ejus superiorem locum tenebat --- Rex eum --- Comitem sui stabuli & omnium equorum, custodemque eorum constituit. ---* § 9: *--- relictis omnibus, militiæ spirituali & clericali se tradidit, & Domino soli vacare studuit. Nam antea Comes atque Dux Andegavensium erat, & inter primos in Palatio jam dicti Regis pollebat.* Cap 2: *Cumque --- Andegavensium urbs Præsule indigeret, tunc copiosa multitudo --- consona voce in invicem & in Pontificem sibi fore eligere disponebant. Optimates vero atque viri illustrissimi, qui eo tempore Rectores Palatii videbantur, gloriose memorato Clothario Francorum Regi ejus consangvineo famam beati viri innotescunt. --- Tunc --- cum Regis ejusdem imperio --- subrogatus est, ut præesset prædictæ Ecclesiæ Andegavensi --- Et inde factum est, ut etiam domesticam sollicitudinem atque primatum Palatii, ac si nolens, Regis cunctorumque Procerum suorum electione teneret.*

Ediderunt Bollandini socii aliam vitam S. Licinii Autore MARBODO, Redonensi Episcopo, in quo cap. 1 hæc leguntur: *Igitur Licinius clarissimo genere ortus, Reges enim Francorum in suis majoribus numeravit. ---* Probavit BOLLANDUS in Commentario prævio § 9 ex S. BERTRANNI Cenomanensis testamento, *sexto Kalendas Aprilis anno vigesimo secundo, regnantis gloriosissimi Domini Clotharii dato,* Licinium anno 618 cœlites jam interfuisse, quoniam in documento *Sanctæ memoriæ Licinii Episcopi* mentio fiat, epochaque Chlotarii ab anno 596 deducenda sit, quo post obitum Childeberti præter cætera loco Cenomannos quoque, ubi conditum testamentum, acquisivit Clotharius II. Ut itaque nullus superest scrupulus, quin Chlotarius heic intelligendus secundus, Chilperici filius, sic nulla conjectura assequendum, quo necessitudinis gradu Clotharium II. attigerit S. Licinius. Ex matre Clotharii non putamus, quoniam pater Licinii in aula Clotharii juvenculi celeberrimus, quodsi Fredegundis exstiterit ger-

 maaus,

manus, vel Turonenſis vel Fredegarii notitiam non ſubterfugerit. Asſunt aliquot filiæ regum, quarum nuptias maritosque ignoramus, earum quandam cum vel matrem vel aviam Licinii conſtituimus, haud quidem temere feciſſe nobis videmur, nec tamen definimus.

ASSERTIONES
TABULÆ IV.

CHILPERICUS Rex,
filius Clotharii I. ex Aregunde.

Etymon vocis in Carmine ad Chilpericum FORTUNATUS libro nono prodit:

Chilperice potens, ſi interpres barbarus extet
ADJUTOR FORTIS, hoc quoque nomen habes.

GREGORIUS TURONENSIS l. 4. cap. 1: *Chlotharius denique Rex --- ſeptem filios habuit --- DE AREGUNDE vero ſorore Ingundis CHILPERICUM.* Cap. 22: *Chilpericus vero poſt patris funera, theſauros, qui in villa Brannaco erant congregati, accepit --- & mox Pariſios ingreditur ſedemque Childeberti regis occupat, ſed non diu hoc ei licuit poſſidere nam conjuncti fratres ejus, eum exinde repulere --- deditque ſors --- Chilperico regnum Chlotharii patris ejus cathedramque Sueſſionas habere.* Inquietus princeps bellis civilibus cum fratribus fere perpetuo commiſcetur Anno 574 & 575 cum Sigeberto, cap. 44. 45. quem per ſicarios occidit 575, cap. 46. Anno 576 Campanos a Meroveo ſollicitatos compeſcuit, L. 5. cap. 3. Cum Guntchramno belligerat, cap. 13. Anno 578 Britannos Venetosque eorumque ſibi civitatem ad nexum fidei obligat, cap. 27. 30. Graviſſima ſuis imponit tributa, cap. 29. Anno 580 libros Theologicos edidit, novasque litteras ex Græca lingua in ſuam transtulit, cap. 45. Legatos ad Tiberium Conſtantinopolin mittit, qui donis onuſti redeunt 581, l. VI. cap. 2. Anno 581 filiis orbatus Childebertum hæredem decla-

CHILPERICUS I, Clotarii & Aregu
mense Septembri. *Pag. 92*
Uxor 1) AUDOVERA in Monasteriur
Regis Hispaniæ filia, ducta 567, suf
Regina 568. Obiit 597. *Pag. 96.*

I. THEODOBERTUS captus a Sigiberto 561, dimissus 562, Cadit in bello cum Sigiberto 575. *Pag. 96.*

I. MEROVEUS ducit Brunechildem 576. in carcerem missus. Tondetur 576. Auffugit Turonos 577. in Austrasiam 577. Insidiis Fredegundis perit 577 Dec. mense. *Pag. 97.*

I. CHLODOVEUS in vincula conjectus cultro percussus obiit 580. *Pag. 98.*

I. BASINA monialis Pictavis 580 destinatur Regi Hispano 584 *Pag. 100.*

CI
SI
n.
m
li
th
gi

I. MEROVEUS natus circa 600 missus cum imperio contra Bertoaldum Austrasiæ Ducem 604, captus 605, interiit mandato Brunechildis. *Pag. 108.*

I. FILIUS moritur juvenis. *Pag. 109.*

DAGOBERT
Monarcha 628
1) GOMATR
2) NANTIL
3) RAGENE
5) I

* * *

GRIMO ADALGASILUS Nepos Dagoberti Regis, Diaconus Verdunensis, *Pag. 112.*

* * *

CHILDEBERTUS GRIMOALDI filius, intrusus Rex Austrasiæ Februar. 655, dejectus eodem anno. *Pag. 125.*

3. SIGIBERTUS III natus 630 R
Uxor IMNICHILDIS. *Pag. 12*

BILICHILDIS nupta CHILDERICO Regi Austrasiæ 660. *Pag. 125.*


DAGOBER
Redux fit
Occisus 678

IRMINA sponsa HERMANNI Comitis, Abbatissa Horrei. Condit Testamentum 701. *Pag. 133.*

ADELA nupta Ig
Pag. 13.

ALBI

I. FILII a latronibus occisi. *Pag. 137.*



declarat, cap. 3. Anno 581 Gunthramno per Desiderium Ducem, Petrogoricum, Aginnum, Tholosam, & alias urbes in illa parte eripit, cap. 12. Sequenti tamen anno pacem percussit, cap. 19. retentis urbibus, cap. 22. Anno 583 depopulatus iterum Gunthcramni regnum cum superveniente eo reconciliatur, cap. 31. *Anno 584 advenientibus Kalendis Septembribus Gothorum magna legatio ad regem Chilpericum accedit --- CHILPERICUS NERO NOSTRI TEMPORIS & Herodes, ad villam Calensem, quæ distat ab urbe Parisiaca quasi centum stadiis accedit, ibique venationes exercet. Quadam vero die regressus de venatione, jam subobscura nocte, dum de equo susciperetur, & unam manum super scapulam pueri retineret, adveniens quidam, eum cultro percutit sub ascellam, iterataque ictu ventrem ejus perforat. Statimque profluente copia sanguinis tam per os quam per aditum vulneris iniquum fudit spiritum. --- Mallulfus autem Silvanectensis Episcopus --- ut eum interemptum audivit, advenit, ablutumque vestimentis melioribus induit --- & in Basilica sancti Vincentii, quæ est Parisiis, sepelivit, Fredegunde Regina in ecclesia derelicta.* Hæc GREGORIUS TURONENSIS l. 6. cap. 45, & 46. ex quibus prono fluit alveo, Chilpericum vel Septembri vel sub initium Novembris occisum esse, & quidem insidiis Fredegundæ uxoris adulteræ, sic enim GESTA FRANCORUM EPITOMATA cap. 35: -- *Erat autem Fredegundis regina pulcra & ingeniosa nimis & adultera. Landericus quoque erat tunc in aula Regis Chilperici vir efficax atque strenuus, ad quem memorata regina diligebat multum, quia luxuria commiscebatur cum ea. Quadam die maturius mane, cum Rex ad venationem exercendam de villa Callinia* (Chelles locus monasterio inclytus) *in Parisiaco dirigeret, cum nimis ipsam Fredegundem diligeret, reversus in Camera Palatii de stabulo equitum, illa caput suum abluens aqua in ipsa Camera; Rex vero retro veniens eam in natibus suis de fuste percussit. At illa cogitans, quod esset Landricus, ait: Quare sic facis Landrice. Respiciens sursum vidit, quod rex esset, expavit vehementer. Rex vero nimis tristis effectus in ipsam venationem perrexit. Fredegundis itaque vocavit ad se Landericum,* & jubet, ut Regem opprimeret, qui vitæ metuens scelus perpatravit. Addunt: *regnavit annos XXIII*, qui inter annum 561 & 584 cucurrere. Confirmat annum mortis Epocha Clotharii filii, qua APPENDIX ad MARII Chronicon utitur apud DUCHESNIUM T. I. pag. 217: *Fiunt igitur ab exordio mundi usque in Heram præsentem id est XIV Heraclii, & XL Clothacarii Regis annum anni 5822.* Colligantur annus Heraclii 14 & Clothacarii 40. Ille initium sumsit 6 Octobris 623, & cucurrit fere per integrum annum 624, huic congruebat annus quadragesimus Clotharii. Ergo exordium primi anni ejus maximam partem 585 complexi in annum 584 incidit, quo Chilpericus occisus. FREDEGARIUS Epitome, cap. 93, Brunechildin insimulans criminis, *Chilpericus, ait, ad Calam villam, nec procul a*

M 3 *Parisiis,*

Parisiis, ab homine nomine Falcone, qui missus a Brunichilde fuerat, est interfectus. ANSELMUS in Hist. Geneal. de France, anno ætatis 61 trucidatum vult, natus itaque esse debuit anno 523. Unde hæc tueatur, nescio. Vereor tamen, ut recte annotarit annos ætatis. Clotharius enim pater anno 524 demum Gundeucam primam uxorem duxit, tum Ingundem, & post aliquot ex ipsa susceptos filios, Aregundem matrem Chilperici. Accedit porro, quod Chilpericus filiorum Clotharii a Turonensi semper ultimus nominetur, adeoque junior fuerit, necesse est, Sigeberto, quem anno 535 in lucem editum suo loco probavimus. Quodsi itaque quinquaginta unum vel alterum ætatis attigisse annum concedimus, satis superque concessum quilibet opinabitur. In Ecclesia Sancti Vincentii hodie S. Germani sepultum Chilpericum vidimus, Repertum anno 1643 in porticu Ecclesiæ monumentum duplex, inque horum altero inventa verba: *Tempore nullo volo hinc tollantur ossa Hilperici*, & : *Precor ego Ilpericus, non auferrantur hinc ossa mea.* Judicarunt plerique Chilperici & Fredegundis sepulchrum, at refellit opinionem MABILLONIUS ὁ πάνυ in dissertatione de sepulchris Francorum Regum antiquis, Ilpericumque a Chilperico Rege alium ibi demonstravit reconditum.

AUDOVERA
Conjux prior Chilperici.

GREGORIUS TURONENSIS l. 4. cap. 20 : --- *Habebat autem tunc Chilpericus tres filios de AUDOVERA priore regina sua, id est Theodobertum, cujus supra meminimus, Meroveum atque Chlodoveum,* tunc cum dimitteretur ob Galswintham Hispanam anno 567. Repetunt hæc GESTA FRANCORUM EPITOMATA subjunguntque statim cap. 31 : *Nunc autem ad cepta redeamus, qualiter Fredegundis dominam suam Audoveram reginam decepit. Nam ipsa FREDEGUNDIS ex familia infima fuit. Cum autem Chilpericus Rex in hostem cum Sigbiberto fratre suo contra Saxones ambulasset,* expeditionem alteram Sigiberti contra Hunnos Saxonesque conjunctos anno 566 susceptam innuit, *AUDOVERA regina gravida remansit, quæ peperit FILIAM. Fredegundis vero per ingenium consilium ei dedit ei dicens : Domina mea, ecce Dominus Rex victor revertitur, quomodo potest filiam suam gratanter recipere non baptisatam. Cum hæc audisset regina, baptisterium parare præcepit, vocavitque Episcopum, qui eam baptisare deberet. Cumque Episcopus adfuisset, non erat matrona ad præsens, quæ puellam suscipere deberet. Et ait Fredegundis : Num quid similem tui invenire poterimus, quæ eam suscipiat. Modo tumet*

ipsa

ipsa suscipe eam. Illa vero hæc audiens, de sacro fonte eam suscepit. Veniens autem, exiitque Fredegundis obviam ei, dicens: Deo gratias, quia Dominus noster Rex victoriam recepit de adversariis suis, nataque tibi est filia, cum qua dominus meus Rex dormiet hac nocte? quia domina mea Regina commater tua est de filia tua CHILDESINDE. *Et ait ille: Si cum illa dormire nequeo, dormiam tecum. Cumque introisset Rex in aulam suam, occurrit ei adorare regina cum ipsa puella. Et ait ei Rex: Nefandam rem fecisti per simplicitatem tuam: jam conjux mea esse non poteris amplius. Rogavitque eam sacro velamine cum ipsa filia sua, deditque ei prædia multa & villas. Fredegundam vero copulavit ad reginam.* Detrusa in monasterium anno 566 Rothomagi, quam urbem teste TURONENSI l. 5, cap. 2, *Meroveus simulans ad matrem suam ire velle, petiit* ut Brunechildem sibi conjungeret uxorem anno 576. *Crudeli* tandem post fata filii Chlodovei *morte necata* anno 580, quod ex TURONENSI probatum dabimus in Chlodoveo.

GALSWINDA
Uxor altera Chilperici.

GREGORIUS TURONENSIS l. 4. cap. 28: *Quod conjugium Sigeberti* & Brunechildis *videns Chilpericus Rex, cum jam plures haberet uxores, sororem ejus* (Brunechildis) GALSVINTHAM *expetiit, promittens per legatos, se alias relicturum. --- Pater vero ejus* Athanagildus Hispaniæ Rex --- *filiam suam sicut* (quamvis) *anteriorem, similiter ipsi cum magnis opibus destinavit. Nam Galsvintha ætate senior quam Brunichildis erat. Quæ cum ad Chilpericum regem venisset, cum grandi honore suscepta, ejusque est sociata conjugio. A quo etiam magno amore diligebatur, detulerat enim secum magnos thesauros, sed per amorem Fredegundis, quam prius habuerat, ortum est inter eos grande scandalum. --- Ad extremum enim jugillari jussit a puero, mortuamque reperit in strato --- Rex autem Cum eam mortuam deflesset, post paucos dies Fredegundem recepit in matrimonio. Post quod factum reputantes ejus fratres, quod sua emissione antedicta regina fuerit interfecta, eum a regno dejiciunt.* Ductam fuisse anno 567, series Chronica demonstrat, Rothomagi nuptias celebratas ex FORTUNATI versibus de Galesvintha libro VI cap. 7 patet: Galesvintha ait, *pervenit qua se piscoso Sequana fluctu in mare fert juncto Rothomagense sinu. Jungitur ergo thoro regali culmine virgo, & magno meruit plebis amore coli.* Dos illi constituta in civitatibus *Burdegala, Lemovica, Cadurco, Benarno & Begorra, quas Gailesvindam germanam domnæ Brunichildis tam in dote quam in morgauegiba, hoc est matutinali dono in Franciam venientem certum est adquisisse.* Verba sunt PACTI ANDELAENSIS apud GREGORIUM TURONENSEM l. 9,

l. 9, cap. 10. AIMOINUS l. 3. cap. 5 habet: *Fredegundam offensam novæ nuptæ aspectibus invisis, exigui prope temporis intervallo tantum adulandi arte prævaluisse, ut se conjugio regis reddiderit.* Manifestum inde, conjugium Galswindæ vix per annum durasse, ipsamque sub initium anni 568 laqueo vitam finivisse. Genus mortis filuit FORTUNATUS, breve tamen conjugii tempus in Carmine laudato his versibus indicat:

Nam breve tempus habens, consorte nexa jugalis
principio vitæ funere rapta fuit.
Præcipiti casu volucri prævent a sub ictu
deficit, & verso lumine lumen obit.

FREDEGUNDIS
tertia Chilperici Conjux.

Infima gente natam Chilperici secretis primum implicatam amoribus tum publice 568 Reginæ honoribus ornatam, regiam domum cœdibus vastasse regemque, veritam ne furta innotescerent, letho dedisse ex Turonensi atque aliis monumentis fide dignis retulimus. Scelestam denique facinorosa mulier posuit vitam anno 597. FREDEGARIUS Chronico cap. 17: *Anno II regni Theuderici,* qui anno 596 patrem exceperat, *Fredegundis moritur,* ætatis quinquagesimo anno, quod asserit ex conjectura VALESII ANSELMUS Pater toties nobis laudatus. AIMOINUS l. 3, cap 86, ex GESTIS EPITOMATIS cap. 37 depontanam fere prædicat. *Anno secundo regni Theodoberti ac Theoderici. Fredegundis regina senex & plena dierum defuncta est, ac in Basilica Sancti Vincentii,* (nunc S. Germain de Prêz) *in suburbio Parisiensi sepulta.* Ubi monumentum hodie adhuc cernitur, a RUINARTO in Appendice Turonensis, MABILLONIO Annalibus, & postremum ECCARDO Wurtzburg. pag. 159. exhibitum.

THEODOBERTUS
filius Chilperici ex Audovera.

GREGORIUS TURONENSIS l. 4, cap. 23: *Post mortem Chlotharii*

(561) --- Sygibertus victor a Chunis Svessionas civitatem occupat, ibique inventum THEODOBERTUM CHILPERICI regis FILIUM adprehendit, & in exilium transmittit. Accedens autem contra Chilpericum, bellum commovit, quo victo atque fugato, civitates suas in suam dominationem restituit. Theodobertum vero filium ejus apud Ponticonem villam custodiri jussit per annum integrum, quem postea, ut erat clemens, muneribus ditatum patri reddidit sanum anno 562. *Cap. 45 :* Renascente bello Chilpericum inter & Sigebertum --- *Sygibertus --- contra fratrem suum ire disponit, mittens nuncios Dunensibus & Turonicis, ut contra Theodobertum ire deberent. Quod illi dissimulantes, rex Godegisilum & Guntheramnum duces in capite dirigit. Qui commoventes exercitum adversus eum pergunt. At ille* Theodobertus *derelictus a suis, cum paucis remansit, sed tamen ad bellum exire non dubitat. Ineuntes autem prælium, Theodobertus evictus, in campo prosternitur, & ab hostibus exanime corpus, quod dici dolor est, spoliatur. Tunc ab Arnulfo quodam collectus, ablutusque ac dignis vestibus est indutus, & ad Engolismensem civitatem sepultus* anno 575, eodem, quo Sigebertus insidiis Chilperici periit.

MEROVEUS
filius Chilperici ex Audovera.

GREGORIUS TURONENSIS l. 5, cap. 2 : *Interempto Sigiberto --- Chilpericus FILIUM SUUM MEROVEUM cum exercitu Pictavos dirigit. At ille relicta ordinatione patris, Turonos venit, ibique & dies sanctos paschæ tenuit --- Ipse vero simulans ad matrem suam ire velle Rothomagum petiit, & ibi Brunechildi Reginæ conjungitur,* media æstate 576. *Hæc audiens Chilpericus, quod scilicet contra fas legemque Canonicam uxorem patrui accepisset --- ad --- oppidum dirigit.* Illi confugiunt in Ecclesiam, Chilpericus vero demulsos inde extrahit, *epulavit cum eis. Post dies vero paucos adsumpto secum Rex Meroveo, Svessionas rediit.* Cap. 3 : *aliqui de Campania Svessionas urbem adgrediuntur. --- Rex propter conjugationem Brunichildis, suspectum habere cœpit Meroveum filium suum, dicens : hoc prælium ejus nequitia surrexisse spoliatumque armis, datis custodibus libere custodiri præcepit, tractans quid de eo in posterum ordinaret.* Cap. 14 : Anno 576, *Post hæc Meroveus cum in custodia a patre retineretur, tonsuratus est, mutataque veste, qua clericis uti mos est, Presbyter ordinatur, & ad monasterium Cœnomannicum, quod vocatur Aninsula* (hodie S. Carilelphi vulgo S. Cales) *dirigitur. ut ibi sacerdotali erudiretur regula.* Elapsus inde, in templum B. Martini Turonis aufugit. Pater cum exercitu illum ablaturus advenit. *Anno secundo Childerici 577 --- Meroveus --- ad Brunichildem pergere cogitat. --- Et ingressus Basilicam --- orat, ut sibi sanctus*

Martinus ſuccurreret, atque ei concederet gratiam ſuam, ut regnum accipere poſſet. Egreſſus Baſilicam ſanctam, cum iter ageret per Altiſiodorenſe territorium, ab Erpone duce Guntheramni regis comprebenſus eſt. Cumque ab eo detineretur, caſu neſcio quo dilapſus, Baſilicam ſancti Germani ingreſſus eſt --- Meroveus prope duos menſes ad antedictam Baſilicam reſidens, fugam iniit, & ad Brunichildem reginam uſque pervenit, ſed ab Auſtraſiis non eſt collectus. Pater vero ejus --- eum non potuit reperire. Cap. 19: *Merovëus vero dum,* anno 577, *in Remenſi Campania latitaret, nec palam ſe Auſtraſiis crederet, a Tarabannenſibus* (Terouanne) *circumventus eſt, dicentibus: quod relicto patre ejus, ei ſe ſubjugarent, ſi ad eos accederet. Qui velociter adſumtis ſecum viris fortiſſimis ad eos venit. Hi præparatos detegentes dolos in villam eum quandam concludunt, & circum ſeptum cum armatis, nuncios patri dirigunt. Quod ille audiens, illuc properare deſtinat. Sed bic cum* Meroveus *in hoſpitiolo quodam retineretur, timens ne ad vindictam inimicorum multas lueret pœnas, vocato ad ſe Gaileno familiari ſuo, ait: Una nobis uſque nunc & anima & conſilium fuit, rogo ne patiaris me manibus inimicorum tradi, ſed accepto gladio inruas in me, quod ille nec dubitans, eum cultro confodit. Adveniente autem Rege mortuus eſt repertus. Extiterunt tunc qui adſererent verba Merovei, quæ ſuperius diximus, a Regina fuiſſe conficta: Meroveum vero ejus juſſu fuiſſe clam interemtum.*

MARIUS AVENTICENSIS pag. 216: *Anno XII Conſ. Juſtini Jun. Aug. Indict. XI. Hoc anno Meroveus filius Hilperici Regis occiſus eſt.* Juſtinus junior regnum auſpicatus eſt 13 Nov. 565. duodecimus ergo annus ejus eodem die 577 incœpit. Indictio XI a Kalendis Sept. 577 delabebatur. Occiſusque Merovëus anno ſecundo Childeberti, qui a 25 Dec. 576 ad eundem diem 577 decucurrit, unde prono fluit alveo, vel Novembri vel Decembri menſi aſſignandum Merovei interitum. In Baſilica ſancti Vincentii Pariſiis ſepultum cadaver anno 585 juſſu Gunthcramni audiemus ſtatim in Chlodoveo fratre.

CHLODOVEUS
filius Chilperici ex Audovera.

GREGORIUS TURONENSIS meminit principis l. 4. cap. 42 anno 574, l. 5. cap. 3 & 13 anno 576 militantis ſub patris auſpiciis, & denique libro V cap. 40: Anno quinto Childeberti, ſive 580, *poſt mortem filiorum Chilperici Rex Menſe Octobri in Cotia ſilva plenus luctu cum conjuge* Fredegunda, quæ duos amiſerat peſte liberos, *reſidebat. Tunc Chlodoveum filium ſuum Brennacum,* ubi

ubi pestis sæviebat, *faciente regina transmisit, ut scilicet & ipse ab hoc interitu deperiret. Ipse Rex Calam Parisiacæ civitatis villam advenit. Post paucos vero dies* CHLODOVEUM *ad se venire præcepit. Cui qualis interitus fuit, dicere non pigebit. Igitur cum in supra dicta villa apud patrem habitaret, cœpit immature jactare vel dicere: Ecce mortuis fratribus meis ad me restitit omne regnum --- Sed & de noverca sua Fredegunde regina non condecebilia detrectabat --- post dies vero aliquot adveniens quidam Reginæ ait : ut orbata filiis sedeas, dolus id Chlodovei est operatus, nam ipse concupiscens unius ancillarum tuarum filiam, maleficiis tuos per matrem ejus filios interfecit. --- Tunc Regina --- adprehensa puella, in quam oculos injecerat Chlodoveus --- ac scissa, sudi impositam defigi ante metatum præcepit Chlodovei matre quoque puellæ religata ac tormentis diu cruciata elicuit ab ea professionem, quæ hos sermones veros esse firmaret. Regi exinde hæc insinuans vindictam de Chlodoveo poposcit. Tum Rex --- eum præcepit accessiri secretius. --- Reginæ vinctus adducitur --- post triduum Regina vinctum jussit eum transire Matronam fluvium & in villa cui Noceto nomen est, custodiri. In qua custodia cultro percussus interiit : ipsoque in loco sepultus est. Interea advenerunt nuncii ad Regem, qui dicerent, quod ipse se ictu proprio perfodisset, & adhuc ipsum cultrum, de quo se percutit, in loco stare vulneris adfirmabat. Quibus verbis rex Chilpericus inlusus, nec flevit ---* MATER AUTEM EJUS AUDOVERA *crudeli morte necata, soror illius* Childesinde *in monasterium reclusa a pueris Reginæ transmittitur, in quo nunc veste mutata consistit, opesque eorum omnes Reginæ delatæ sunt.* L. 8. cap. 10 ad annum 585 : *Guntheramnus Rex cum interitum Merovei & Chlodovai sæpius lamentaretur, nesciret ubi eos, postquam interfecerant, projecissent, venit ad Regem homo, qui diceret : --- quando Chlodoveus interfectus est, ac sub stillicidio oratorii cujusdam sepultus, metuens Regina, ne aliquando inventus cum honore sepeliretur, jussit eum in alveum Matronæ fluminis projici. Tunc intra capsam, quod opere meo ad capiendorum piscium necessitatem præparaveram, reperi. Sed cum ignorarem, quisnam esset, a cæsarie prolixa cognovi Chlodoveum esse : adprehensumque in humeris ad latus detuli, ibique cum cespite superposito tumulavi. --- Rex --- detecto tumulo --- reperit corpusculum integrum & illæsum una tantum pars capillorum, quæ subter fuerat, jam defluxerat, alia vero cum ipsis crinium flagellis intacta durabat --- Cognitum est, hunc esse, quem Rex intento animo requirebat --- igitur --- ad Basilicam sancti Vincentii detulit tumulandum. --- Post hæc misit Pappolum Carnotenæ urbis Episcopum, qui Merovei cadaver requirens, juxta Chlodovei tumulum sepelivit.* Cæterum Pater ANSELMUS principem juvenem trucidatum opinatur, cum ætatis annum egerit vigesimum quintum, unde id hauserit, non constat. Natus ideo fuisset anno 555, quod anni patris facile concedunt. Posito enim, anno 554 genuisse Meroveum, anno 553 vel 551 Theodobertum, matrem Audoveram duxerit anno 551, ætatis suæ juxta nostram supputationem

decimo ſeptimo vel octavo, quod ceteris Principum Meroveadarum conjugiis non repugnat. At deeſt nobis teſtis idoneus, quo hanc Chronologiam firmemus.

BASINA
filia Chilperici ex Audovera.

GREGORIUS TURONENSIS L. 9, cap. 39: *In monaſterio vero Pictavienſi inſidiante Diabolo in corde Chrodieldis, quæ ſe Chariberti quondam regis filiam adſerebat orto ſcandalo --- egreſſa eſt cum quadraginta aut eo amplius puellis & conſobrina ſua BASINA CHILPERICI FILIA* - - reliqua turbarum in monaſterio anno 589 a Chrodielde excitarum dedimus in Chrodielde, ubi Turonenſis verba relegenda. Anno 590: *Baſina Regis Chilperici filia, quam ſupra cum Chrodielde a communione remotam diximus --- veniam petiit promittens, ſe cum charitate Abbatiſſæ monaſterium ingredi, ac de regula nihil tranſcendere --- Rex utriſque veniam impertiri deprecatus eſt, & ſic in communionem receptæ Pictavos regredi juſſæ ſunt: ſcilicet ut Baſina in monaſterium --- regrederetur ---* Aula exire juſſa anno 580. GREGORIUS TURONENSIS enarrata nece Chlodovei l. 5. cap. 40 ſubjungit: *Mater ejus crudeli morte necata; ſoror illius in monaſterium recluſa a pueris Reginæ transmittitur, in quo nunc veſte mutata conſiſtit.* Baſinam hoc loco intelligendam velle Turonenſem ipſe autor eſt l. 6. cap. 34. *Voluit tunc* Chilpericus Rex amiſſum anno 584 Theodoricum filium lugens *aliam filiam illuc* in Hiſpaniam ad Reccaredum, cui Rigunthem Fredegundis filiam deſponſaverat *dirigere, quam de Audovera habebat, & eam in monaſterio Pictavenſi poſuerat. Sed illa diſtulit, reſiſtente præcipue beata Radegunde & dicente: Non eſt dignum, ut puella Chriſto dicata, iterum ad ſeculi voluptates revertatur.* Corrigendi hinc MARIANÆ errores, cum primo Childeſindam hanc fuiſſe crediderit, & ſecundo ipſam Riccaredo nupſiſſe aſſerat.

CHILDESINDE
filia Chilperici ex Audovera.

Deſcripſimus locum GESTORUM EPITOMATORUM in Audovera matre, unde patet eam anno 566 utero excluſam, aſtutiaque Fredegundis una cum matre ſtatim in Monaſterium detruſam fuiſſe.

RIGUN-

RIGUNTHIS
filia Chilperici ex Fredegunda.

GREGORIUS TURONENSIS L. 4. cap. 32. & L. 5. cap. 39: *Erant autem Lewichildo regi ex alia uxore duo filii, quorum senior Sygiberti,* JUNIOR CHILPERICI REGIS FILIAM *desponsaverat.* L. 5. cap. 49: *Sed nec hoc sileo, quod* RIGUNTHIS *regina* more istius ævi, quo Regum filiæ innuptæ & nuptæ Reginarum encomio mactabantur, de quo vide TILLET Recueil, *condolens doloribus meis,* quibus a Chilperico anno 530 afficiebatur GREGORIUS, *jejunium cum omni domo sua celebravit.* L. 6, cap. 34: *Anno nono Childeberti* (584) --- *Legati iterum ab Hispania venerunt deferentes munera, & placitum accipientes cum Chilperico Rege, ut filiam suam secundum conniventiam anteriorem filio regis Lewichildi tradere deberet in matrimonium, denique dicto placito & omnibus pertractatis, legatus ille reversus est.* Cap. 45: *Interim advenientibus Kalendis Septembribus, Gothorum magna legatio ad regem Chilpericum accedit. Ipse vero regressus Parisios --- nuptias celebravit filiæ suæ. Traditaque legatis Gothorum magnos ei thesauros dedit: sed & mater ejus* Fredegundis *immensum pondus auri argentique sive vestimentorum protulit, ita ut videns hæc Rex, nihil sibi remansisse putaret. --- Denique de Parisiis egressa.* L. 7. cap. 9: *Rigunthis Chilperici regis filia cum thesauris supra scriptis usque Tholosam accessit --- dum* ibi *retardaretur, mors Chilperici regis in aures Desiderii ducis inlabitur. Ipse quoque collectu secum viris fortissimis, Tholosam urbem ingreditur, repertosque thesauros abstulit de potestate reginæ, & in domum quandam sub sigillorum munitione ac virorum fortium mancipat, deputans reginæ victum arctum, donec ad urbem regrederetur.* Cap. 10: *Riguntbis vero in Basilica S. Mariæ Tholosa --- residebat.* Cap. 39: *Fredegundis autem his diebus* (584) *Cuppanem in Tholosanem direxit, ut scilicet filiam suam exinde quocunque modo posset, erueret, --- isque acceptam Riguntbem a loco illo reduxit, non sine grandi humilitate atque contumelia.* L. 9. cap. 34: (*Anno 509*) *Riguntbis autem filia Chilperici, cum sæpius matri calumnias inferret, diceretque se esse dominam --- ac interdum pugnis se alapisque cæderent, ait ad eam mater: Quid mihi molesta es filia? ecce res patris tui, quæ penes me habentur, accipe & utere, ut libet. Et ingressa in regestum, reseravit arcam monilibus ornamentisque preciosis refertam: de qua cum diutissime res diversas extrahens filiæ adstanti porrigeret, ait ad eam: Jam enim lassata sum, immitte tu, inquit, manum, & ejice quod inveneris. Cumque illa immisso brachio res de archa obstraheret, adprehenso mater opertorio archæ super cervicem ejus inlisit. Quod cum in fortitudine premeret, atque gulam ejus axis inferior ita adtereret, ut etiam oculi ad crepandum parati essent, exclamavit una puella-*

puellarum, quæ erat intrinsecus, voce magna, dicens : Currite, quæso, currite : ecce domina mea a genitrice sua graviter sugillatur. Et Inrumpentes cellulam, qui coram foribus eorum præstolabantur adventum, erutam ab imminenti interitu puellam, eduxerunt foras. Post ista vero inter easdem inimicitiæ vehementius pullulantes, & non de alia causa maxime, nisi quia Riguntbis adulteria sequebatur, semper cum eisdem rixæ & cædes erant.

CHLODOBERTUS & DAGOBERTUS filii Chilperici ex Fredegunde.

GREGORIUS TURONENSIS l. 5. cap. 35 : *Anno quinto Childeberti Regis (580) --- dysentericus morbus pene Gallias totas præoccupavit. --- Infirmitas a mense Augusto initiata. --- In his diebus Chilpericus rex graviter ægrotavit : quo convalescente filius ejus junior, necdum ex aqua & Spiritu sancto renatus, ægrotare cœpit, quem in extremis videntes baptismo abluerunt. Quo parumper melius agente, frater ejus senior nomine CHLODOBERTUS, ab hoc morbo corripitur --- Post hæc INFANTULUS JUNIOR dum nimio labore tabescit, extinguitur, quem cum mœrore maximo deducentes a villa Brennaco Parisios, ad Basilicam S Dionysii sepelire mandaverunt. Chlodobertum vero,* (GESTA FRANCORUM cap, 34 male habent *Robertum,*) *componentes in feretro, Svessionas ad Basilicam S. Medardi duxerunt, projicientesque eum ad sanctum sepulcrum voverunt vota pro eo, sed media nocte anhelus jam & tenuis spiritum exhalavit, quem in Basilica sanctorum Crispini & Crispiniani martyrum sepelierunt.*

FORTUNATUS utrique Epitaphium pepigit, quæ ex libro VIII nro 4 & 5 repetiit DUCHESNIUS T. I pag. 507 & integra sic sonant:

1) Chlodoberti :

Flere movent populum crudelia funera Regum
cum caput orbis humo mæsta sepulchra legunt.
Hoc igitur tumulo recubans CHLODOBERTUS habetur,
qui TRIA LUSTRA gerens raptus ab orbe fuit. Ergo natus 565 cum 580 ætatis 15 moreretur.

De

De proavo veniens Chlodovecho celsa propago,
Chlotariique nepos, Chilpericique genus,
quem de Regina sumsit Fredegunde jugali,
auxerat & nascens Francica vota puer.
Quem patris & patriæ dum spes adolesceret ampla
accelerante die sors inimica tulit.
Sed cui nulla nocent queruli contagia mundi
non fleat ullus amor, quem modo cingit honor.
Nam puer innocuus, vivens sine crimine lapsus,
perpetui regni se favet arce frui,

2) Dagoberti:

Dulce caput populi DAGOBERTE perennis amore
auxilium patriæ, spes puerilis obis.
Germine regali nascens generosus & infans
ostensus terris mox quoque rapte polis.
Belligeri veniens Chlodovechi gente potenti
egregio proavi germen honore pari.
Regibus antiquis respondens nobilis infans,
Chilpericique patris vel Fredegunde genus.
Te veneranda tamen mox abluit unda lavacri,
hinc libet abreptum lux tenet alma throno.
Vivis honore ergo, & cum Judex venerit Orbis,
Surrecturus eris fulgidus ore nitens.

Ultra biennium non vixit Dagobertus. Natum enim anno 578 sic colligimus. GREGORIUS l. 5, cap. 14, narrat se habuisse somnium, cum Chilpericus Meroveum persequeretur, omnes interituros Chilperici filios subjungitque: *Erant ei* Chilperico *eodem tempore de diversis uxoribus filii quatuor exceptis filiabus.* Vivebant anno 577 somniante Gregorio, Meroveus, Chlodoveus ex Audovera, Chlodobertus anno 565 natus, & Samson anno

575

575 in lucem editus ex Fredegunda filii Chilperici. Ergo tum nondum aura nostra vescebatur Dagobertus. In fine anni 577 refert ideo cap. 23, juniorem filium ex Fredegunde diem obiisse supremum. Qvodsi præter Chlodobertum & Samsonem tertius adfuerit filius, loco *junioris* vel *medium* vel *minimum* dixisset. Manifestum itaque post annum 577 materno utero exclusum Dagobertum,

SAMSON
filius Chilperici ex Fredegunde.

GREGORIUS TURONENSIS l. 5, cap. 23: *His ita gestis,* sub finem anni secundi Childeberti, sive 577, *SAMSON FILIUS CHILPERICI regis junior, a dysenteria & febre comprehensus, e rebus humanis excessit. Hic vero cum Chilpericus rex Tornaci a fratre* Sigeberto, anno 575 teste GREGORIO in fine libri IV, *obsideretur, natus est: quem mater ob metum mortis a se abjecit, & perdere voluit. Sed cum non potuisset objurgata a Rege, eum baptizari præcepit. Qvi baptizatus & ab ipso Episcopo susceptus lustro uno* quin vix triennio *nec perfecto, defunctus est, nam & mater ejus Fredegundis, in his diebus graviter ægrotavit, sed convaluit.*

THEODORICUS
filius Chilperici ex Fredegunde.

GREGORIUS TURONENSIS l. 6, cap. 23, ad annum 582, septimum Childeberti: *Dehinc Chilperico regi post multa funera filiorum, filius nascitur. Ex hoc jubet rex omnes custodias relaxari, vinctos absolvi, compositionesque negligentum fisco debitas præcepit omnino non exigi. Sed magnum deinceps dolum hic intulit infans.* Cap. 27: Anno sequenti, *Chilpericus rex --- Parisios abiit --- diesque Paschæ cum multa jocunditate tenuit, filiumque suum baptismo tradidit, quem Ragnemodus ipsius urbis sacerdos, de lavacro sancto suscepit, ipsumque THEODORICUM vocitare præcepit.* Cap. 34: Anno 584, *Chilperico regi --- novus luctus advenit: filius enim ejus, quem anno superiore sacro baptismate abluerat, a dysenteria correptus spiritum exhalavit, --- Tunc cum immenso fletu regressi Parisios sepelierunt puerum ---*

CLO-

CLOTHARIUS II.
filius Chilperici ex Fredegunde.

GREGORIUS TURONENSIS l. VI, cap. 41 : --- *His diebus* anno Childeberti regis nono *(584) ei* Chilperico *FILIUS NATUS est, quem in villa Victoriacensi nutrire præcepit, dicens : Ne forte dum publice videtur, aliquid mali incurrat & moriatur.* Libro 7, cap. 7 : *Quadam die dum pariter ad mensam epularentur*, Fredegundis & Guntchramnus, *regina consurgens --- Indulge inquit, deprecor, domine mi, quia juxta consvetudinem mulierum contigit mihi, ut pro conceptu consurgam. Hæc ille audiens, obstupuit, sciens, quartum esse mensem, ex quo alium ediderat filium.* Hæc statim post obitum Chilperici facta esse narrantur. Chilpericum Septembri mense vitam posuisse supra vidimus. Tum quatuor mensium Clotharius. Natus itaque vel Junio vel Julio mense. Libro X cap. 28 : *Anno decimo sexto Childeberti (591) ---* Fredegundis *legatos ad Guntchramnum regem mittit, dicens : Proficiscatur Dominus meus Rex usque Parisios & arcessito filio meo nepote suo, jubeat eum baptismatis gratia consecrari --- Rex --- accessit Parisios, exinde ad Rotojalensem villam ipsius urbis properans, evocato puero jussit baptisterium præparari in vico Nemptodoro --- & --- obtulit puerum ad baptizandum. Quem excipiens, CHLOTHARIUM vocitari voluit.* --- Eadem FREDEGARIUS Chronico cap. 3. Pergit is cap. 14 : *Anno 33 regni Guntchramni (593) --- Quintrio dux Campanensis cum exercitu in regnum Chlotharii ingreditur, Chlotharius cum suis obviam pergens hostiliter Quintrionem in fugam vertit : sed utriusque exercitus nimium est trucidatus.* Cap. 17 : *Eo anno 596*, post obitum Childeberti, *Fredegundis cum filio Clothario rege Parisius vel reliquas civitates ritu barbaro occupavit*, hinc bella cum agnatis Theodoberto & Theodorico, quæ suis locis exposuimus. Mortuo tandem Theodorico *Clotarius factione Arnulfi & Pipini vel cæterorum procerum Auster ingreditur*, omnemque Austrasiam atque Burgundiam peremtis Theodorici filiis sibi vendicat, ut ex FREDEGARII cap. 40. 41. 42. alibi docuimus, *anno XXX regni sui* teste FREDEGARIO cap. 43, qui inde ab anno 584 deductus in annum 613 incidit.

FREDEGARIUS cap. 42 : *Firmatum est omne regnum Francorum sicut a priore Chlothario fuerat dominatum, cunctis thesauris ditioni Chlotharii subjectis. Quod feliciter post XV annos tenuit, pacem habens cum universis gentibus vicinis.* Capite 56 : *Anno XLV regni sui Clotharius moritur, & in suburbano Parisius in Ecclesia sancti Vincentii sepelitur.*

GESTA EPITOMATA cap. 42: *Succedente vero tempore mortuus est, Chlotharius Rex senex & plenus dierum: regnavitque annos XLIV.*

GENEALOGIA ex Vetusto Codice MS. Conciliorum ac Capitulorum apud DUCHESNIUM T. I. pag. 793: --- *Mortuus est Hlotharius filius Hilperici, & regnavit annos XLV.*

GENEALOGIA a Meroveo usque ad Pipinum ibidem pag. 793: *Clotharius --- XLV anno vitam finivit.*

AIMOINUS l. 4. cap. 16: *Monarchiæ susceptæ anno XVI, paterni autem regni XLIV, Clotharius Rex moritur, atque in suburbano Parrhisiorum in Basilica S. Vincentii sepelitur.*

Plura adducere loca veterum non vacat. Elucescit ex recitatis post completos regiminis annos 44 naturæ debitum reddidisse anno 45 & ætatis & imperii. Capessivit Septembri mense anno 584 fasces regni Francici. Qvadragesimus quintus annus imperii a Septembri 628 ad Septembrem 629 cucurrit, unde patet vel anno 628 vel 629 vitam posuisse. Consonat annus XVI susceptæ Monarchiæ, qui enim de annis XV loquuntur, intelligendi de completis. Vidimus constitutum Monarcham anno 613, quibus additi 16 efficiunt Dionysianos annos 628 & 629. Præclarissime omnium probat annum CONTINUATOR MARII AVENTICENSIS, qui Appendicem suam finivisse ait, apud DUCHESNIUM T. I. pag. 217, anno 40 Clotharii, & 14 Heraclii Imperatoris. *Fiant igitur*, inquit, *ab exordio mundi usque in Heram præsentem, id est XIV Heraclii & XL Clothacarii Regis annum, anni 5822.* Conferuntur annus 14 Heraclii atque Clotharii 40mus. Ejecto Foca solium Augusteum conscendit Heraclius 6 Octobr. 610, Indict. XIV. Decimum quartum ergo auspicabatur Imperator *6 Octobr. 623.* Clotharius patrem excepit Septembri 504. Qvadragesimus itaque annus inde a Septembri 623 delabebatur, currebatque Heraclii XIV Clothariique XL maximam partem anni 624. Necessario inde consequitur, XLV annum Clotharii ab Octobri 628 defluxisse per integrum fere annum 629. Qvo planiora fiant, quæ de supputationibus in medium protulimus, ea in laterculum includere operæ visum fuit prætium:-

ANNI

ANNI CLOTHARII.	ANNI HERACLII.
Sept. 584 I annus Clotharii inchoatus	
585 I annus Clotharii currens	*6 Oct. 600 I annus Heraclii inchoatus*
613 I annus Monarchiæ inchoatus, 29 regni currens	*611 I annus Heraclii currens*
614 I annus Monarchiæ currens 30 regni currens	
Sept. 623 XL Clotharii inchoatus X Monarchiæ currens	*6 Oct. 623 XIV annus Heraclii inchoatus*
624 XL Clotharii currens XI Monarchiæ currens	*624 XIV annus Heraclii currens*
Sept. 628 XLV Clotharii inchoatus XV Monarchiæ currens	*6 Oct. 628 XIX annus Heraclii inchoatus*
629 XLV Clotharii currens XVI Monarchiæ currens,	*629 XIX annus Heraclii currens.*

Evincitur ex adductis vel anni 628 ultimis mensibus vel sub initium anni 629 defunctum fuisse Clotharium. Jam vero VALESIUS & ex eo ECCARDUS commemorant, in quibusdam Necrologiis diem obitus notatum inveniri *IV Kalendas Octobris.* Quodsi 28 Septembris anni 629 vivendo attigisset, quadragesimum quintum regiminis annum complevisset, quod contra quævis testimonia asseri nequit. Patet itaque luce meridiana clarius, Clotharii mortem anno 628 & quidem 28 Sept. adscribendam esse. Elicimus porro hinc, Chilpericum patrem inter Kalendas Septembris & IV Kal. Octobris anno 584 insidiis peremtum. Clotharii Monumentum in Ecclesia S. Vincentii, suburbana Parisiorum, una cum Cenotaphio Beretrudis Reginæ anno 1656 inventa fuisse, GERARDUS DUBOIS in Hist. Ecclesiæ Parisinæ pag. 151 autor est. Sepulturam Clotharii testatur FREDEGARIUS. At Beretrudis in Basilica S. Petri Rothomagi tumulata fuit, ut habet VITA AUDOENI, in Haltetrude recitata. Sichildem itaque cum Clothario in S. Vincentii sepultam fuisse opinabilius est.

HALDETRUDIS
Conjux Clotharii II. prima.

FRIDEGODUS Vita S. Audoeni Episcopi apud SURIUM T. IV. cap. 32, & DUCHESNIUM T. I, pag. 638: *Illa vero Basilica Rothomagi, in qua*

ſancta ejus membra quieſcunt, miro opere, quadris lapidibus Gotthicis manu, a primo Clothario Francorum Rege olim nobiliter conſtructa fuit, anno plus minus quarto & viceſimo regni ejus, Sedem Rothomagenſem obtinente Flavio Epiſcopo. In qua etiam duæ ejus uxores & Reginæ conditæ ſunt, HALDETRUDIS & BERETRUDIS. Haltetrudem Dagoberti matrem probabimus infra in Chariberto. Ex nobili proſapia videtur orta. FREDEGARIUS cap. 84: *Poſt diſceſſum Æganæ Erchinoaldus,* quem plures ſatorem Auſtriacorum crepant, *Major domus, qui conſanguineus fuerat de genere,* AIMOINUS l. 4. cap. 37. legit, *ex genitrice, Dagoberti, Major domus Palatii Chlodovei efficitur* anno 640.

BERTRUDIS
Conjux Clotharii altera.

FREDEGARIUS cap. 43: --- *anno XXX regni ſui in Burgundia & Auſtria --- Chlotharius cum in Alefatia in villa Maurolegia* (*hodie* Marlenheim) *cognomento, cum BERTRUDE Regina acceſſerat, pacem inſectans multos inique agentes gladio trucidavit.* Cap. 47: *Anno 30 regni Chlotarii Beretrudis regina moritur, quam unico amore dilexerat Chlotarius, & omnes leudes bonitatem ejus cernentes vehementer amaverunt.* Annus 30 cucurrit 614 & trigeſimus ſextus anno 620.

SICHILDIS
Conjux Clotharii tertia.

AIMOINUS Libro IV cap. 8: *Anno 36 ejuſdem principis Berthetrudis regina moritur --- poſt cujus obitum Clotharius rex aliam accepit conjugem nomine SICHILDEM, de qua habuit filium nomine Haribertum.*

FREDEGARIUS cap. 54: *Anno 43 regni Chlotarii (627) -- Boſo filius Audoleni de pago Stampenſi juſſu Chlotarii ab Arneberto Duce interficitur, reputans ei ſtuprum cum Regina SICHILDE.*

MEROVEUS
filius Clotharii ex Haltedrude.

FREDEGARIUS Chronico cap. 25: *Anno nono Regni Theuderici --*

Bertoaldus a Theuderico directus --- cum Arelaunum villam venisset --- Chlotharius FILIUM SUUM MEROVEUM & Landericum Majorem domus cum exercitu ad Bertoaldum opprimendum direxit. Cap. 26: *Cum --- Theudericus hoc comperisset --- in Nativitate Domini protinus cum exercitu Stampas super fluvio Loa pervenit, ibique obviam Meroveus filius Chlotharii Regis cum Landrico & magno exercitu venit --- initum est prælium --- Bertoaldus --- interficitur --- Meroveus filius Chlotharii capitur. Landericus in fugam versus est a nimia multitudine exercitus Chlotharii in eo prælio gladio trucidatus est. Theudericus victor Parisius ingreditur.* Missus est Meroveus anno 604, captus Januario forsan mense anni 605. Posthæc nullibi mentio ejus. Brunichildis instinctu necatum tradit FREDEGARIUS, cap. 42, ubi Reges impotentis fœminæ jussu trucidati recensentur interque eos --- *Meroveus filius Chlotharii.* Certe quadrimum putaveris in prælia missum a patre, quoniam pater anno 604 nondum vigesimum expresserat ætatis annum. Ex Haltedrude susceptum diximus, quoniam ætate major Dagoberto, ipsoque quod suo loco demonstramus, Haltetrude matre usus fuit.

Filius Clotharii II. juvenis mortuus.

FLORENTIUS PRESBYTER Vita S. Rusticulæ Abbatissæ Monasterii S. Cæsarii Arelatensis apud DUCHESNIUM T. I. pag. 565: *Et abeuntes ad Regem Clotharium accusaverunt eam* Rusticulam. Ipsa jussu Clotharii *adducitur de civitate* Arelate *--- Dominus autem --- revelavit --- Episcopo Viennensis urbis --- Domnulo, ut protinus ad Regem gradiretur, & renunciaret ipsi gravem se offensionem Dei habere, quod injusto judicio condemnasset famulam Christi; & protinus se a filio orbari pro tam immisericordi jussione --- Igitur cum perducta fuisset ad Regem --- FILIUS SUUS, quem valde diligebat, extrema agere cupit, & quod ei antea fuerat prædictum, per injusta judicia, quæ in Dei famulam exercuerat, filium se amissurum, complevit in meritum. Defuncto itaque eo, tristis ac mœrens Rex quodnam de Christi ancilla fieri juberet ignorabat ---* Hunc quoque Haltetrudam habuisse matrem verosimile videtur.

EMMA
Regina Cantii filia Chlotarii II.

VALESIUS I. 18. rerum Francicarum sub finem, rationibus expositis,

ſitis, cur Emmam Clotharii ſecundi filiam crediderit, *poſtea* inquit, *cum vetus quoddam Chronicon evolverem, in eo, quod pridem animadverteram, diſertis verbis ſcriptum reperi: Eadbaldo in regnum ſucceſſiſſe filium Earconbertum ex Emma Lotharii II Francorum Regis filia ſuſceptum virum religioſum & pium.*

WILHELMUS MALMERBURIENSIS de geſtis R. Angl. L. I, pag. 10: Cui Eadbaldo Regi Cantii *poſt 24 regni annos defunſto ſucceſſit Ercombertus filius ex* EMMA FRANCORUM REGIS FILIA *ſuſceptus --- religione in Deum, pietate in patriam juxta inſignis.*

WILHELMUS THORNE Monachus S. Auguſtini Cantobrigæ Chronica cap. 3. pag. 1769: --- *anno Domini 640 --- XI Kalend. Febr. obiit Eadbaldus rex ſui regiminis anno 22 & eſt ſepultus juxta patrem ſuum in loco ſuperius nominato. Et ſecundo anno poſt moritur* EMMA *regis Eadbaldi uxor & Regina, atque* REGIS FRANCORUM FILIA, *& eſt ſepulta juxta virum ſuum* Cantabrigæ.

CHARTA qua Eduardus Rex Angliæ anno 1362 omnia privilegia & documenta Monachorum S. Auguſtini Cantobrigæ rata habuit apud WILHELMUM THORNE pag. 2125: *Inſpeximus inſuper cartam Eadbaldi quondam Regis Angliæ in hæc verba: In nomine Patris & filii & Spiritus ſancti Edbaldus rex glorioſi regis Athelberti filius --- ego Edbaldus in ſolio paterno confirmatus --- gratanter concedo & amicabiliter do --- Northborne in uſum Monachorum ibidem Deo famulantium, ubi ipſe pater Auguſtinus & pater meus requieſcit --- ubi & corpus meum ſepeliri præcipio. --- Hujus donationis confirmationem trophæo agyæ crucis & carta mea regia conſignavi aſſidentibus & collaudantibus Archiepiſcopo Baptiſta ſcilicet meo & ſubſcribente cum regina mea Emma filiisque meis Egfrido & Ercumberto. --- Ego* EMMA FRANCORUM REGIS FILIA *&* REGINA EDBALDI *copulæ vexillo adorandæ crucis armavi --- Ego Ercumbertus atteſtatione venerandæ crucis gratanter concedo, conteſtor & ſubſcribo --- Actum eſt hoc anno DC XVIII Indictione IIII.* Quarta Indictio non congruit anno 618, ſed annis 616 & 631. Epocha incarnationis a ſequioris ævi Monachis poſtquam inde a Seculo VIII invaluerat, infarta diplomatibus vix attendi meretur. Ergo ſola remanet Indictio norma conditi diplomatis. Quarta cucurrit annis 615 & 616 Sed dum laberetur ea, nondum rerum potitus fuit Eadbaldus, quoniam pater 15 Febr. 616 defunctus uno ore omnium Anglicorum ſcriptorum traditur. Qui vero dies 15 Febr. Anglis in anno 616 numerabatur, ex ingenio noſtri computi in annum 617 rejiciendus eſt. Alia Indictio IV volvebatur annis 645 & 646. At THORNIO teſte Eadbaldus Rex 642 obierat. Reſtat ergo

ergo IV Indictio annis 630 & 631 conveniens, quo consignatum esse debet diploma. Atque tum temporis filius Emmæ eo ætatis profectus esse poterat, ut donationem paternam ipse firmaret. Cum enim, quod in Berta Chariberti filia demonstratum dedimus, Emma ante annum 603 lucem haut aspexerit, anno 616 vix filium utero exclusisse quiverit, multo minus filio gaudere, qui chartæ robur addiderit subscriptione.

CHARIBERTUS II. Rex, filius Clotharii II. ex Bertrude.

FREDEGARIUS cap. 55: *Anno XLIV regni Chlotharii (628) Clippiaco* (Clichy) *homo nomine Ermenarius, qui gubernator Palatii CHARIBERTI FILII CHLOTARII erat, a pueris Æghinanis genere Saxonum optimatis interficitur --- Æghyna in monte Mercomeri* (monte Martyrum haud procul Clippiaco) *jubente Chlotario resedit, --- PRODULFUS AVUNCULUS CHARIBERTI* (AUTOR GESTORUM DAGOBERTI cap. 16 falso addit: *qui frater fuerat Sichildis reginæ.*) *exercitum undique colligens, super ipsum cum Chariberto volebat inruere --- uterque jussione regia pacantur.* Cap. 56: *Anno XLV regni sui Clotharius moritur --- Dagobertus cernens genitorem suum esse defunctum missos --- direxit, ut suum deberent regimen eligere --- Charibertus frater suus nitebatur, si potuisset Regnum adsumere, sed ejus voluntas pro simplicitate parum sortitur effectum. Produlfus vellens nepotem stabilire in Regnum, adversus Dagobertum muscipulare cœperat. Sed hujus rei vicissitudinem probavit eventus.* Cap. 57: Dagobertus --- *Pagum Tholosanum, Caturcinum, Agennensem, Petrocoreum, & Santonicum, vel quod ab his versus montes Pyrenæos excluditur, hoc tantum Chariberto regendum concessit, quod & per pactionis vinculum strinxit, ut amplius Aribertus nullo tempore adversus Dagobertum de Regno patris repetere præsumeret. Aribertus sedem Tholosanum elegens regnat in parte provinciæ Aquitaniæ. Post ANNUM TERTIUM cum regnare cœpisset, totam Vasconiam cum exercitu superans suæ ditioni redegit, aliquantulumque largiorem fecit Regni sui spatium.* Cap 58: *Dagobertus cum jam anno VII regnaret --- eodem die, quo de Latona ad Cabillonnum deliberarat properare --- Brudulfum avunculum fratris Ariberti interficere jussit.* Cap. 67: *Anno IX regni Dagoberti Charibertus rex moritur, relinquens FILIUM PARVULUM nomine CHILPERICUM, qui nec post moram defunctus est. Fertur factione Dagoberti fuisse interfectus. Omne regnum Chariberti una cum Wasconia Dagobertus protinus suæ ditioni redegit.* Exscripserunt totidem verbis tum AUTOR ANONYMUS GESTORUM DAGOBERTI apud DUCHESNIUM & STRUVIUM, tum AIMOINUS l. 4. cap. 23. Vitam exuit Charibertus

ribertus anno Dagoberti nono non a patris morte, sed ab ejus imperio Austrasiæ repetito. Dagobertus Austrasiorum Rex declaratus mense Martio 622. Obiit ergo, cum nonus Dagoberti annus a Martio 630 ad Martium 631 procurreret, altero annorum. FREDEGARIUS habet *post annum tertium cum regnare cœpisset, Wascones* subjugasse. Pater migravit a seculo 28 Sept 628. Ipse non ita longe post a fratre Tholosa donatus. Tertius ideo annus post 28 Sept. 630 initium sumsit, verbaque Fredegarii exponenda *post initium tertii anni*, cui explicationi mos loquendi ævi istius suffragatur. Ex quibus prono fluit alveo vel sub finem 630 vel Januario an Februario 631 diem obiisse supremum Charibertum. Reliquit filium Chilpericum statim ab obitu patris jussu Dagoberti peremtum. Concedamus natum anno 630 vel primis mensibus anni 631, patre vel 14 annum agente. Nasci ergo debuit 616, quo anno nondum Sichildis, ex opinione AIMOINI & AUTORIS GESTORUM DAGOBERTI mater Chariberti, thalamum Clotharii ingressa fuit, sed demum post annum 620 ducta FREDEGARIO teste. Elucet porro tum ex supra recitatis, tum ex diserto testimonio HUCBALDI Elnonensis Monachi in Vita S. Rictrudis apud SURIUM T. III, & DUCHESNIUM T. I. pag. 653, quod ita sonat: *Habuit autem Dagobertus fratrem Aribertum non tamen germanum,* --- Charibertum & juniorem Dagoberto & alia matre editum fuisse, quæ cum inter se conferuntur, nemini non patescit, Charibertum ex Beretrude, & quidem post annum 614, quo nondum Beretrudem peperisse ex FREDEGARII cap. 44 colligere pronum est, Dagobertum vero majorem natu ex Haltetrude fuisse susceptos.

GRIMO ADALGISILUS
Nepos Dagoberti Regis.

VITA S. PAULI VERDUNENSIS Episcopi apud BOLLANDUM VIII Februarii cap. 3: *Sed ne tanta virtutum copia inanis esset* --- *cœperunt ad eum* --- *præpotentum ac nobilium generositate progeniti unanimes convolare. GRIMO namque qui & ADALGISILUS, NEPOS DAGOBERTI REGIS* --- *illius se doctrinæ subdidit imbuendum* --- *A quo introductus in campos Scripturarum in tantum profecit brevi, ut disciplina & moribus æquipararet Magistrum. Idem etenim Monasterium Tabulejum sive Theolegium*, Tholey, a Dagoberto circa 620 juxta BROWERUM, BRUSCHIUM, alios, conditum, *hereditario jure proprietati competebat Grimonis, in quo, ut in proprio licentius cum Magistro commorans, de gramine virtutum centu-*

centuplicatum retulit fructum, adeo ut ad diaconatus tunc temporis pertingeret gradum. Et ne nostra reputentur, ut falsa, subjungit cap. 4, *ipsius*, nempe *Bertharii Presbyteri, qui a Domno Dadone*, Episcopo Verdu ensi sub finem Seculi VIII, promotus est. *Subnectimus hujusmodi dicta : Post Ermenfridum, inquit, tractus est de monasterio Tabulejo S. Paulus, qui fuit frater S. Germani Parisiensis Ecclesiæ Episcopi, & in Ecclesia ista Episcopus consecratus, cujus memoria æterna est. Nam cum nepos Dagoberti Regis Grimo Diaconus, qui & Adalgisilus dicitur, fuisset a S. Paulo ab infantia reverenter educatus, pro Amore ipsius Antistitis suam proprietatem i, e. Tabulejum monasterium S. Mariæ in Virduno suo scripto & multorum fidelium scriptis --- tradidit ---* Meminit BIOGRAPHUS cap. 5, no 11, alius privilegii sive instrumenti, quo Grimo nepos Dagoberti Verdunensibus *Frasindam villam* largitus est, unde patet, & ipsum & Bertharium asserta sua ex documentis hausisse, neque scrupulus remanet, quin Grimo Adalgisilus Diaconus nepos Dagoberti Regis extiterit. At nexum necessitudinis detegere haut licet. Materno Haltetrudis sangvine Dagoberto conjunctum potius ac paterno arbitror.

DAGOBERTUS I. Rex, filius Clotharii II. ex Haldetrude.

DIPLOMA, quo donationes Trevirensi Ecclesiæ confirmat apud BROWERUM pag. 351 :*Dagobertus Rex Francorum, viris illustribus --- ideoque vir Apostolicus pater noster domnus Modoaldus Archiepiscopus Ecclesiæ Trevericæ, præceptum afferens ad nos, præceptionibus prædecessorum anteriorum regum, parentum nostrorum Sigeberti, Theodeberti, Theoderici, imoque bonæ recordationis HLOTHARII GLORIOSI REGIS GENITORIS NOSTRI, manibus roboratum ---*

AUDOENUS Rothomagensis Vita S. Eligii apud DUCHESNIUM T. I. pag. 620 : *Mortuo interea Clothario Rege Francorum, Dagobertus filius ejus Monarchiam Regni solus obtinuit.*

FREDEGARIUS Chronico cap. 47 : *Anno XXXVIII regni Chlotarii, DAGOBERTUM filium suum consortem regni fecit, eumque super AUSTRASIOS REGEM constituit, retinens sibi quod Ardenna & Vosagus versus Neuster & Burgundiam excludebant.* Cadit annus 38 Clotharii in annum Christi 622, quo ipso anno Saxones circa Visurgim a Dagoberto auxiliante Clothario ad internecionem fusi, quod prolixe enarrant GESTA EPITOMATA cap. 41.

P AUTOR

AUTOR GESTORUM DAGOBERTI annum 39 profert. At fequioris ævi Monachus cum in plerisque Fredegarii authoritatem fecutus fit, in hoc anno vero diffentiat, fidei fcriptoris coævi derogare nequit. Ex Haltetrude priore conjuge natum Dagobertum demonftravimus in Chariberto. Et quidem anno 602 vel 603, quod infra prodetur. Regnum Auftrafiæ obtinuit anno 622, Martio menfe, quod præeunte MABILLONIO, VALESIO, PAGIO, & ECCARDO Wurzb. pag. 186 fic probamus: BIOGRAPHUS S. DESIDERII apud LABBEUM Bibl. MS. T. I. cap. 3, pag 700: *anno tranfacto* inquit *XXXIV Lotharii regis*, is defluxerat anno Dionyfiano 618 Septembri, *Rufticus Defiderij Germanus Archidiaconatus officium in urbe Rutena fufcepit --- poft aliquot annos Epifcopus Caturcenfis promotus* anno circiter 6·2. Capite V, pag. 701 pergit Autor: *Finiente ANNO SEPTIMO REGNI DAGOBERTI & INCIPIENTE OCTAVO Rufticus Epifcopus Cathedræ Caturcinæ præfidens SEPTIMO AUTEM ET EO AMPLIUS ANNO PONTIFICATUS fui adminiftrato a perfidis & fcelestis incolis trucidatus eft.* --- Indicat Biographus, Rufticum necatum ipfo die quo Dagobertus feptimum claufcrat annum, & octavum ingreffus erat. Unum eundemque diem ifto refpectu dictum quondam fuiffe ultimum & primum, erudite PAGIUS excuffit in differt: Hypatica P. 2. cap. 2. n. 12. & 24: Inferuit fummus MABILLONIUS T. III Analectorum veterum, Differtationem, *de die & anno ordinationis*, quo Ruftico fratri fucceffit, *itemque obitus Defiderii Cadurcenfis Epifcopi*, qua ex monumentis fide digniffimis, & præfertim ex PRÆCEPTO DAGOBERTI I. quod in VITA S. Defid: cap. 7. pag. 703, fic fonans, *Dagobertus Rex Francorum Epifcopis & Ducibus --- jubemus, ut --- Defiderius Pontifex in urbe Caturci debeat confecrari --- Dagobertus Rex fubfcripfit. Data fub die Idus Aprilis*, ex codice vetuftiori reftituit LABBEUS T. II. Appendice pag. 3. *fub die VI Idus Aprilis anno octavo Dagoberti*, evictum dedit, Rufticum menfe martio ab incolis Cadurcinæ urbis trucidatum, Defideriumque fuccefforem ejus *in pafchali folennitate anno VIII Dagoberti*, five XVI Aprilis die anni 629 inauguratum fuiffe Epifcopum. Annum octavum ab Epocha Auftrafiæ regni numeraffe Biographum, ex eo conftat, quod ipfumdecimo VI anno vitam exuiffe teftetur loco in Sigeberto defcribendo. Ex quibus affatim patet, Epocham Dagobertini regni in Menfem Martium 622 referendam.

Anno 628 28. Sept. mortuum Clotharium patrem excepit in omni regno Dagobertus, cum jam anno VII regnaret, excepta Tholofana regione fratri conceffa. FREDEGARIUS cap. 56. 57. 58.

Anni

Anno VIII, 629, legatos mittit ad Heraclium Byzantinum Imperatorem. FREDEGARIUS cap. 62.

Anno IX, 630, Chariberti mortui ejusque filii occisi hæreditatem crevit, FREDEGARIUS cap. 67. *Cum Samnone Carentanorum Rege infeliciter pugnat,* cap. 68. *Eodem anno Sisenando auxilio fuit, ut nactus sit regnum Hispaniæ,* cap. 69.

Anno IX, 630, Bulgaros a Chunis ejectos in Bavariam recipit, sed statim jugulandos jubet, FREDEGARIUS cap. 72.

Anno X, 631, Cum nuntiatum fuisset, exercitum Vinidorum Carentanorum *Thoringiam fuisse ingressum, Saxonibus tributum 500 vaccarum inferendalium annis singulis reddendarum a Clothario seniore impositum remittit,* FREDEGARIUS cap. 75, *ut Winidos repellant, qui tamen nihilominus in Thuringiam ruunt, anno XI, 632.* Cap. 75. *Fusi vero fugatique anno XII, 633, a Rudolfo Duce Thuringiæ,* cap. 77.

Anno XI, 632, fundavit Monasterium & Abbatiam S. Dionysii. DIPLOMA apud MABILLON de re diplomatica pag. 463.

Anno XIV, 635, Wascones domat rebelles & Judicaelem Ducem Britanniæ in ordinem redigit, FREDEGARIUS cap. 78. AUDOENUS Vita S. Eligii, qui Vascones, *Vacceos* dixit, pag. 631.

Anno XVI, 637, regni sui Dagobertus profluvio ventris in Spinogelo villa (hodie Espinay) *super Segona fluvio nec procul a Parisius ægrotare cœpit: exinde ad Basilicam sancti Dionysii a suis defertur. Post paucos dies cum suæ vitæ sentiret periculum, Æganem sub celeritate ad se venire præcepit, se jam discessurum sentiens, Reginam Nantbildem & filium suum Chlodoveum eidem in manu commendans, consilium Æganæ pergratum habens, quod cum ejus instantia Regnum strenue gubernare possit. His gestis, post paucos dies Dagobertus emisit spiritum, sepultusque est in Ecclesia sancti Dionysii, quam ipse prius condigne ex auro & gemmis & pretiosissimis speciebus ornaverat, & condigne in circuitu fabricare præceperat.* Hæc FREDEGARIUS, cap. 79, cui consentit AUDOENUS Vita S. Eligii, pag. 631. GESTA FRANCORUM cap. 43: *Posthæc igitur Rex Dagobertus a febre valida correptus ægrotans mortuus est in Spinogilo villa, in pago Parisiacense, & in Basilica beati Dionysii Martyris sepultus est. Planxeruntque eum Franci diebus multis, regnavitque annos XXXIV.* Nisi librarii oscitantia numeri *XXXIV* loco *XVI* irrepserint, legendum procul dubio *vixit XXXIV annos,* qui cum resecantur ab anno 637,

P 2 quo

quo mortuus, completi, remanet annus 602 vel 603 nativitatis Dagoberti.

AUTOR GESTORUM DAGOBERTI, cap. 43: --- *His taliter explosis, post paucos dies XIIII Kalendas Februarias Christianissimus Rex Dagobertus humanis rebus exemptus est.* Eadem habet AIMOINUS l. 4. cap. 34. Consentit circa diem, licet de annis vitæ obscurius loquatur, quam ut intellectu facile sit, EPITAPHIUM Dagoberti ex Codice Petaviano a DUCHESNIO foras datum, T. I. pag. 590:

Hac Dagobertus humo Francorum gloria Princeps
Cum Narchil decubat conjuge pacis apex,
Quem meritis sceptro Dionysius extulit alto,
Cujus ope & gazis hic stat in arce locus.
Nonum Janus agens decimumque per æquora solem
Vicesimo lustro reddidit ossa solo
Dives, inops, proceres, populus, Rex advena, civis,
Sint horum memores, dent ac in astra preces.

Fata subiit die 19 Januarii anno XVI sui regni Dagobertus, qui, cum annus XVI a Martio 637 usque ad Martium 638 decucurrit, in annum 638 quadrat.

GOMATRUDIS prior Dagoberti Conjux.

FREDEGARIUS cap. 53: *Anno XLII regni Clotharii,* qui Septembrem anni 625 inter & Septembrem 626 volvebatur, *Dagobertus cultu regio & jussu patris honeste cum Leudibus in Clippiaco* (Clichy) *non procul Parisius venit, ibique germanam Sichildæ Reginæ nomine GOMADRUDEM in conjugium accepit.* Cap. 58: *Dagobertus cum jam anno VII regnaret (628) --- Parisius venit, ibique Gomadrudem Reginam in Romiliaco villa, ubi ipsam in matrimonium acceperat, relinquens eo, quod esset sterilis, cum consilio Francorum Nanthildem unam ex puellis de Monasterio,* potius legendum *Ministerio, in matrimonium accipiens, Reginam sublimavit.*

NAN-

NANTHILDIS
altera DAGOBERTI Conjux.

Ducta FREDEGARIO teste 628. Soror Landegesili. GESTA DAGOBERTI cap. 26: *Eodem tempore,* quo obiit Charibertus 630 vel 631, *germanus NANTHILDIS Reginæ nomine Landegiselus defunctus est, atque in Ecclesia beatorum Martyrum Dionysii sociorumque ejus jubente Rege honorifice sepultus.*

FREDEGARIUS cap. 89: *Anno IV regni Chlodovei (641), cumque NANTHILDIS Regina cum filio suo Chlodoveo Rege post discessum Æganæ Aurelianis in Burgundiæ Regnum venisset --- ibi --- Flaocatus genere Francus Major domus in regno Burgundiæ, electione Pontificum & cunctorum Ducum a Nanthilde Regina & hoc gradu honoris stabilitur, neptemque suam nomine Ragnobergam Flaocato desponsavit. --- Hac dignitate sublimatus Flaocatus --- Wilibadum Patricium interficere disponebat --- Igitur Cabillono pro utilitate patriæ tractandum mense Madio placitum instituit --- Willebadus Palatium noluit introire. Flaocatus foris contra Willebadum præliandum aggreditur --- Eo anno Nanthildis Regina moritur.* (AIMOINUS l. 4. cap. 40, subjungit: *atque in ecclesia S. Dionysii in eodem quo Dagobertus sepulchro posita.*) *Eodemque anno mense Septembrio Flaocatus --- Augustudunum --- Willebadum ad se venire præcepit.* Cum nollet parere, bellum exoritur, quo uterque occisi sunt. Clarescit, ex narratis, Nanthildem inter Majum & Septembrem mensem terrena reliquisse anno 641.

RAGENETRUDIS
tertia Conjux Dagoberti superinducta.

FREDEGARIUS cap. 59: *Anno VIII regni sui Dagobertus, cum Auster regio cultu circuiret, quandam puellam nomine RAGENETRUDEM stratui suo adscivit, de qua eo anno habuit filium nomine Sigibertum.* Juncta mulier Teutonica Dagoberto anno 629, Martio an Aprili vel Majo ut Sigebertus nasci potuerit anno 630, priori quodam mense.

Reliquæ Dagoberti Uxores.

FREDEGARIUS cap. 60: Dagobertus Rex *luxuriæ supra modum deditus.* *Nam* anno VIII regni sui, 629, *tres habebat maxime ad instar Reginas, & plurimas concubinas. Reginæ vero hæ fuerunt:* NANTHILDIS, VULFGUNDIS *&* BERTHILDIS. *Nomina concubinarum, eo quod plures fuissent, increvit* (pudet) *huic Chronicæ inseri,*

SIGEBERTUS III.
filius Dagoberti ex Ragenetrude.

In lucem editum anni 630 priori trimestri ex FREDEGARIO modo vidimus. Non vana est conjectura Clyppiaci in Palatio primum hausisse spiritum. BAUDEMUNDUS Vita S. Amandi ad VI Febr. cap. 4: *Rex Dagobertus --- cum sibi nunciatum fuisset, quod ei Dominus filium dare dignatus esset, magno mox repletus gaudio, cogitare cœpit, cui ipsum puerum traderet, qui eum sacro baptismate regenerare deberet. Statimque accersitis ministris, qui S. perquirerent Amandum, sagaci intentione præcepit. --- Repertus --- pervenit ad Regem, qui in illis diebus in villa, cui vocabulum Clypiaco est, morabatur --- Rex statim ipsum puerum afferri præcepit, qui fatebatur non plus a nativitate habere, quam dies quadraginta. Accepit vir sanctus in manibus puerum, & benedicens eum, catechumenum fecit. Cumque finita oratione, nemo ex circumstante multitudine respondisset, Amen: aperuit Dominus os pueri, atque audientibus cunctis, clara voce respondit, Amen; Statimque eum regenerans sacro baptismate, impositoque nomine SIGEBERTO, Regem atque omnem ejus exercitum tunc S. Amandus magno replevit gaudio.* Certe Clyppiaco sacro fonte ablutus. Erronee enim HARVENGIUS in Vita S. Amandi cap. 42. Aurelianis baptizatum refert. Ex BAUDEMUNDO sua referunt AIMOINUS l. 4. cap. 10. & GESTA Dagoberti cap. 24.

DIPLOMA TREVIRENSE apud BROWERUM pag. 354: *In nomine Domini amen. SIGEBERTUS divina gratia Francorum Rex --- Igitur noverit omnium fidelium nostrorum præsentium & futurorum notitia, qualiter de cellis beatorum Hilarii, qua modo cella S. Maximini dicitur, ac B. Eucharii, in prædio S. Treviricæ urbis ædificata, quas DOMINUS GENITOR NOSTER DAGOBERTUS Christianissimus Rex prædecessorum suorum mores sequens, ad Ecclesiam S. Petri Treviricæ urbis regia potestatis*

ſtatu jure tradiderat. --- Data Aquis grani Idibus Maji anno dominicæ Incarnationis DCLIII. *SIGEBERTUS Francorum Rex ---* Et ſtilus & memoratus incarnationis annus ab iſto ſeculo nimium remoti ſunt, eamque ob cauſam falſitatis diploma arguendum recte judicat, præeunte Nicolao ZYLLESIO in libro pro defenſione Abbatiæ Imperialis S. Maximini, HENSCHENIUS de Sigeberto pag. 233. §. 14, ea potiſſimum ratione inductus, quod ex ROSIER S inſigni illo impoſtore, mutuatus ſit BROWERUS.

FREDEGARIUS cap. 61: *Pippinus,* Major domus Dagoberti in Auſtraſia, *eo anno, 630, cum Sigiberto filio Dagoberti ad Haribertum regem acceſſit. Charibertus Aurelianis veniens, Sigibertum de ſancto lavacro excepit.* Cap. 75: *Anno XI regni Dagoberti, 632, cum Winidi juſſu Samonis,* Carentani, *fortiter ſævirent, & ſæpe tranſcenſo eorum limite regnum Francorum vaſtando Thoringiam & reliquos pagos ingrederentur, Dagobertus Mettis urbem veniens, cum conſilio Pontificum ſeu & Procerum, omnibusque Primatibus Regni ſui conſentientibus, SIGIBERTUM FILIUM SUUM IN AUSTER REGNUM ſublimavit, ſedemque Mettis civitatem habere permiſit.. Hunibertum Coloniæ urbis Pontificem & Adalgiſelum Ducem Palatii, ad regnum gubernandum inſtituit. Theſaurum quod ſufficeret, filio tradens, condigne ut decuit, eum hujus culmine ſublimavit, & quodcunque eidem largitus fuerat, ſigillatim præceptionibus roborandum decrevit. Deinceps Auſtraſii eorum ſtudio limitem & regnum Francorum contra Winidos utiliter defenſare noſcuntur.* Capite 87: *Cumque anno VIII, 639, Sigibertus regnaret, Radulfus Dux Toringiæ vehementer contra Sigibertum rebellandum diſpoſuit,* cujus Sigibertus Rex motus compreſſurus fuſus fugatus in prælio ad Unſtruttam commiſſo redit.

De fundatis authoritate ejus a S. Remaclo Stabulenſi Metenſi atque Malmundarienſi Cœnobiis legi merentur, BROWERUS, ECCARDUS, VITA S. REMACLI apud SURIUM, & CHARTÆ apud MARTENIUM Coll. ampliſſimæ T. II. Viginti omnino prædicatur condidiſſe monaſteria, quam in rem evolvendus HENSCHENIUS. Ille enim ſingulari induſtria atque eruditione congeſſit undique, quæ ad Sigebertum ſpectant, in Commentario prævio ad Vitam S. Sigeberti 1 Februarii emiſſam, unde ſtrictim repetimus, quæ e re noſtra videntur. Expoſuit cap. 2 & 3 fines regni Auſtraſiorum complexosque luculenter probavit *Campaniam Remenſem ad Oeſiam uſque, Catalaunos ad Matronam, Laudunenſes, Cameracenſes uſque ad Scaldin, hinc Belgiam totam I, Germaniam I & II trans Rhenum, Franconiam & Thuringiam ad Unſtruttumos, Allemann, quaqua verſus patebant, & denique Bavaros.* Paruerunt praeterea in Neuſtraſia ſive hodierna Francia Sigeberto *Arverni,*

Arverni, teſtibus TURONENSI, VITA BONITI & PRÆJECTI, *Albigenſes, Ruteni, & Gabali*, confirmantibus epiſtolis DESIDERII 77, 78, & 81, *Vicus Ariſitenſis & Vabrenſis in Rutenis* quod ex chartis collegit HENSCHENIUS, *Cadurci* ex Epiſtolis S. DESIDERII apud DUCHESNIUM, T. I, *& quæ primo loco nominanda erat Maſſilia*, ut fuſius demonſtrarunt MABILLONIUS, ECCARDUS.

VITA SIGEBERTI Regis apud DUCHESNIUM T. I, pag. 593: *--- Sigibertus --- expletis autem ætatis ſuæ annis XXXI, regni autem XXVIII, anno ab Incarnatione Domini DCXLII, a tranſitu S. Martini anno CCXLIII, Rex terribilis apud omnes Reges terræ, qui aufert ſpiritum Principum, in flore juvenilis ætatis eum acerba morte rapuit de præſenti ſeculo nequam, & in cœleſti curia ei contulit veræ dignitatis gloriam. Obiit Kalendis Februarii & ſepultus eſt in urbe Mettis, quæ Regni ſui ſedes fuerat, in Baſilica quam --- in honore S. Martini --- conſtruxerat.*

CHRONICON BREVISSIMUM apud DUCHESNE T. I, pag. 781: *Sigobertus nepos ſuus*, Chlotarii II, *regnavit annos XXIII.*

SIGEBERTUS GEMBLACENSIS ad annum 656: *Sigibertus rex Auſtraſiorum moritur. Dagoberto filio ſuo admodum parvulo fidei Grimoaldi commendato, ut in regnum ejus auxilio promoveatur.* ALBERICUS refert obitum ad annum 655.

Mire variant in deſignando anno Sigeberti obituali Autores tum vetuſti tum recentiores. SIGEBERTUS ipſe non ſibi conſtans in Chronologia annum 656, in Vita 662 denominat. VALESIUS & qui eum ſequitur P. ANSELMUS 650, COINTIUS 654. MABILLONIUS poſt obitum patris XVII, anno ideoque 655, BARONIUS 657 & denique HENSCHENIUS 663, aliique 666, fata ſubiiſſe contendunt. BIOGRAPHUS SIGIBERTI apud DUCHESNIUM anno 642 habet, ſed, numeros transpoſitos oſcitantia librarii legendumque 662, in propatulo eſt. Nemo veterum annos regiminis Sigeberti notavit, præter ad ductos, quorum alter 28, alter 23, ipſi tribuit, cuinam major habenda fides, dubium. Tres omnino offenduntur Epochæ Sigeberti, prima ab anno 632 deducta, quo Regnum Auſtraſiæ nactus. Alteram ex oratione Dagoberti in *placito generali Francorum in loco nuncupato Bigargio* habita *X Kalendas Majas anno XIV (635)* colligimus. Sic enim apud AIMOINUM L. 4, cap. 30, loquitur: *Conſtitui etiam quatuor fieri uno tenore exemplaria* teſtamenti ſui conditi *& ea manibus ſubter firmare*

firmare non tantum meu, sed etiam filiorum meorum Sigeberti & Hludovici, QVOS HODIE REGES CONSTITUO, vestris quoque, qui astatis sanctissimi Pontifices nec non gentis nostræ Principes. Confirmatus itaque 22 Aprilis 635 Sigobertus in Austrasia, & constitutus Chlodoveus in Neustria Reges. Tertiam ab obitu patris repetitam Epocham pandit BIOGRAPHUS S. DESIDERII Cadurcensis Episcopi, cap. 19 apud LABBEUM Bibl. MS. T. I. pag. 711 : *Rex Dagobertus decimo sexto regni sui anno administrato, pacifice obiens duobus filiis Chlodoveo & Sigiberto regni sceptra reliquit, & Chlodoveus quidem Regnum Francorum, Sigibertus autem Austrasiorum regnum gubernavit. Hujus Sigiberti VII & decimo regni, anno Episcopatus autem sui vicesimo & III,* sic habet exemplar LABBEI, at LABBEUS ipse in Appendice T. II, pag. 2, & MABILLONIUS in dissertatione de Desiderio supra nobis laudata ex Codice antiquissimo *Moissiacensi* rectam lectionem restituerunt : *vicesimo & VI parat Desiderius solum proprium paternæ possessionis, Albigense territorium, visitare, profectus --- moxque febre correptus --- decubuit --- ac sub die decimo septimo Kalendarum Decembrium --- ultimum spiritum exhalavit.* Demonstravimus MABILLONII argumentis, cum de epocha Dagoberti Austrasiâ disquiremus, Desiderium Episcopum inunctum fuisse Paschatis die anno 629. Exhalavit ergo spiritum 15 Nov. 654, qui ab obitu Dagoberti XVIImus numerabatur, adque XIX Febr. 655 cucurrit. Sigebertus sane Januario mense 655 in vivis versatus est, quoniam Kalendis ipsis Februarii ad cœlos evolasse constanter asseritur. Qvamcunque sequaris Epocham, anno 654 Vigesimum tertium nondum expleverat regiminis annum. Et tamen expleto, vel currente saltem eo, obiisse, autor est CHRONICON BREVISSIMUM sive LATERCULUS REGUM supra recitatus. Cui fidem utique utpote antiquissimo monumento habemus, cum præsertim SIGEBERTUS & BIOGRAPHUS DUCHESNIANUS ipsi suffragantur. Probat Autor ipse LATERCULI, præ oculis habuisse Epocham a regno Austrasiæ adepto deductam. Enumeravit enim antea more omnium Scriptorum ævi Merovingici annos XVII Dagoberti, quorum septem cum patre decem post patris fata transegit. Jam vero Sigebertus fasces capessivit anno 632 mense quidem nobis ignoto, at quodsi ex aliorum regum, vivente genitore, constitutione conjecturam facere licet, mense Martio. Incompletos regnasse viginti annos judicamus, quod Dagoberti anni XVII quoque incompleti fuerunt. Exordium sumsit annus XXIII Sigeberti mense Martio 654. Obiit, Februarii ejusdem anni. Ergo dies fatalis in Kalendas Febr. 655 incidit, ut recte arbitratus est summus MABILLONIUS. SIGEBERTUS GEMBLACENSIS Chronologiam suam composuit post Vitam Sigeberti conscriptam, ut videtur,

inque ea, edoctus meliora Sigeberti Regis emortualem annum indicavit 656, sed errore levi, qui ex numeratis completis XXIII facile exsurgere potuit. In BIOGRAPHO vero DUCHESNIANO, incuria transscribentium loco XXIII irrepsisse puto XXVIII, in quo quam promtum fuerit errare, exemplo VITÆ DESIDERII modo testatum dedimus. Nec enim reliquas notas Chronicas licet erroneas, cum anno XXVIII, quamque etiam arripias Epocham, conciliare licet. Qvi vero in annum 666 progrediuntur, decepti sunt initio regni Dagoberti erronee posito. Reperiverunt Epocham ab anno, quo successit patri, hoc est 628, secundum quem calculum Sigebertus natus esse debuit 636, Rex declaratus 638. Cum vero ex mente BIOGRAPHI DUCHESNIANI XXXI anno ætatis & 28 regiminis diem functus sit, uterque annum in annum Christi 666 conveniunt. Qvam male vero constituta epocha, evincunt, quæ supra diximus. Unde etiam patescit, tria adducta testimonia post admissam correctionem unum eundemque Sigeberti annum emortualem proferre, nempe æræ Dionysianæ 655.

FRIDEBURGA, Gunzonis Ducis filia, sponsa Sigeberti.

Vide supra in Sigeberto Theodorici filio, quæ ex THEODORO Biographo S. Magni & STRABONE in Vita S. Galli ea de re excussimus.

IMNICHILDIS Conjux Sigeberti III.

ACTA TULLENSIUM EPISCOPORUM apud MARTENIUM Anecd. T. III. pag. 995: *Post domnum Eutulandum adeptus est culmen pontificalis honoris --- domnus Teufridus, qui inter plurima pietatis apud gloriosissimum regem DAGOBERTUM, interventu venerandæ GENITRICIS IPSIUS CHIMECHILDIS reginæ acquisivit ad locum, cui venerandus pontifex præerat, villam nuncupatam Bladenam --- Studuit etiam venerabilis antistes apud eundem regem adquirere alias villas super fluvium Mosæ Taveronem Paterniacum --- & quicquid in Saviniaco & Lonnarl curte & Regniaco pertinens ad fiscum regale esse videtur. Dedit etiam præmemoratus Rex interventu eodem,* Matris nimirum, *venerando Antistiti fiscum ad præfatam Leucborum sedem, nominatum Noviantem, in pago Bedinse. --- Idem Rex --- concessit & fiscum*

fiscum nuncupatum Viskerium cum regio palatio --- Adeptus est etiam idem venerabilis pontifex apud Sigibertum regem, filium scilicet præfati religiosissimi regis Dagoberti (Commiscuit avum & nepotem Dagobertum ipsi ignoratum) *villas nuncupatas Longum-Campum --- Hæc omnia sæpe nominatus præsul apud piissimum regem Dagobertum cum omni integritate & absque ulla diminutione Dei omnipotentissima miseratione favente meruit acquirere, & multa alia sicut in cartis ejus reperitur.* Demonstrabimus statim Dagobertum filium Sigeberti, nulla ideo probatione indiget Imnichildis Uxor Sigeberti III. Prosapiam aliqualiter tetigit THEODORICUS EPTERNACENSIS in Vita S. Irminæ ex veterum testamentorum Codicillis apud BROWERUM TREVIR. pag. 361 : *Sanctus Willibrordus & Domina Anastasia Abbatissa puellarum in Horreo fecerunt inter se commutationem vinearum, & dedit dominus Willibrordus dominæ Anastasiæ vineæ petituras duas in monte Paginse juxta flumen Rhenum, cum vinitore, & omni peculio suo, quæ sibi illustris fœmina Irmentrudis filia Pantini, consobrina S. Irminæ dederat.* Matrem Irminæ Dagoberti II Conjugem natione Hibernam vel Scotam fratrem in Rhenanis partibus prædiorum dominum habuisse haut credibile, arcessenda potius necessitudo ex avia Imnichilde, cujus frater an nepos Patinus, pater Ermentrudis, quæ Derovaldum Bertoaræ maritum peperit teste testamento apud MABILLONIUM ad calcem Liturgiæ Gallicanæ. Imnichildis 655 vidua, orbata filio, imperium passa Childeberti intrusi, Clodovei II, atque Clotharii III ad annum usque 660, quo Bathilde adjuvante eo perduxit rem, ut Clothario III nondum ephebo Regnum Austrasiæ, nolenti an volenti dubium, extortum in Childericum II filium Bathildis alterum transferretur, juncta sexenni puero Bilichilde filia hærede Sigeberti Qvo facto jure tutorio Austrasiæ regnum administravit Imnichildis : Firmat ea tum MILO in suppletione libelli Vitæ S. Amandi apud DUCHESNIUM T. I. pag. 647 : *Amandus ædificavit Cellulam, quæ nuncupatus Karisiacus, quem locum cum adjacentibus sibi appendiciis illic Hildericus Rex & HYMNECHILDIS regina* socrus nempe & tutrix *visi sunt condonasse*, tum PRÆCEPTUM REGIUM apud MIRÆUM Donat. Belgicis l. 1. cap. 3 : *CHILDERICUS Rex Francorum & Bildechildis Regina viro illustri Bertuino Comite --- ut hæc autoritas circa ipsum Pontificem & Monachos ejus firmior habeatur --- ego dum PROPTER IMBECILLEM ÆTATEM minime potui subscribere, manu propria subtersignavi & Regina subterscripsi. Signum Childerici Regis. BILDECHILDIS REGINA SUBSCRIPSI. Datum sub die Kalend. Augusti anno II regnante Domino nostro Childerico Rege.* (id est 661 cum septimum ætatis annum ageret Rex.) HENSCHENIUS in S. Amando 6 Febr. §. 11. pag. 817 loco *Bildechildis*, legendum *Imnechildis* recte monuit. Qvi enim fieri potuerit, ut juvenis nondum scri-

Q 2 bendo

bendo aptus ad uxorem animum applicuerit, quæ pueri scriptiones perageret. Melius convenit Socrui atque Tutrici. Curiosum DIPLOMA STABULENSE infra in Childerici Conjuge recitandum : *Childericus Rex Francorum EMNICHILDIS & BILICHILDIS Dei gratiâ REGINÆ*, in quo Tutrix & Conjux occurrunt anno 667. Præterea Chronicon MONASTERIENSE apud MARTENIUM Anecd. T. III. pag. 1435. habet : *Circa dominicæ Incarnationis DCXL annum --- sub Hilderico filio Clodovei, nepote Dagoberti, fratre Chotharii & Theodorici, rege tunc Francorum --- inceptus est hic locus a Monachis inhabitari, sicut ejusdem regis scripta testantur, quæ apud nos hactenus inviolata conservantur, quæ & hic intermiscere ad comprobandam volentibus scire veritatem videbatur utile : Hildericus rex Francorum Bonifacio duci Sueviæ. Nos --- per consilium EMHILDÆ REGINÆ seu apostolici viri Rotharii Strazburgensis episcopi, seu omnium Francorum prudentium palatium nostrum inhabitantium --- cognoscat magnitudo nostra ---* Sequenti forsan anno deposuit Tutelam, regnumque tradidit in manus generi 14 annum agentis. Non vero omnem abjecisse potestatem videtur, Monarcha facto genero. Docet VITA S. PRÆJECTI Episcopi ex MS. Codice Atrebatensi apud DUCHESNIUM T. I. pag. 673 : *virum infamem Hectorem nomine, qui apud Massiliam Patricii honorem adeptus fuerat, --- ad Childericum Principem, qui eo tempore utraque Regna*, Neustriam & Austrasiam, *sceptro gubernabat --- pervenisse, accusasse Pontificem, qui prædia quædam sibi vendicaret --- Episcopum cœpisse renuere, --- cumque se artatum cognovisset, necessitate compulsum respondisse, se causas Ecclesiæ HIMNICHILDÆ REGINÆ commendasse. Cumque hanc assertionem cognovisset, imperfectum opus permansisse.* Referenda hæc in annum 672. Childerico denique 673 trucidato, Clotharioque intruso Rege evanescente, Dagobertum II filium ex Hibernia revocandum curavit, quo imperante eam adhuc inter vivos versatam ex Autore ACTORUM TULLENSIUM fiducia chartarum Dagobertinarum supra vidimus. Ex quo nulla porro ejus mentio. Ambiguum itaque, num funestum Dagoberti II exitum conquesta an morte isti calamitati subtracta sit.

Proles Anonyma Sigeberti III.

VITA SANCTI BONITI apud ANTWERPIENSES XV Januarii cap. 1 : *Bonitus Regis ad aulam usque processit seque Sigiberti Principis ministerio tradidit. Non multo post accepit a Principe magnum honorem cum gratia. Post cujus obitum FILIISQUE DEFUNCTIS pronepos ejus*, Childericum II innuit filium ex fratre, *suscepit sceptra ---*

BILI-

BILICHILDIS
filia Sigeberti III.

Vide fis, quæ congeremus de hac filia in Childerico II marito ejus, cui desponsa 660, unaque cum eo ultima fata subiit anno 673.

DAGOBERTUS II.
filius Sigeberti III. Rex Austrasiæ.

VITA SIGEBERTI REGIS apud DUCHESNIUM T. I, pag. 593: *Sigibertus Rex Grimoaldum Majorem domus sibi in omnibus fidelem --- expertus filium ejus* CHILDEBERTUM *Regni Austrasiorum hæredem delegerat, --- Rex --- postea vero* FILIUM *genuit, quem nomine patris sui* DAGOBERTUM *vocavit. Et priori testamento ad irritum tracto hunc nutriendum commisit Majori Domus Grimoaldo --- Mortuo Sigeberto Rege, Grimoaldus Major domus Dagobertum filium ejus suæ fidei commendatum, ut Austrasiorum potiretur Regno, tonsuravit in Clericum, consilio Didonis Pictaviensis Episcopi, qui fuit avunculus sancti Martyris Leodegarii, & per manum ipsius Didonis insontem puerulum in Scotiam direxit exilio irrevocabili.* FILIUM *vero suum* CHILDEBERTUM *Austrasiorum regno constituit Regem. Franci ægre ferentes perfidiam Grimoaldi, captum eum destinant Parisius ad judicium regis Chlodovei, qui fuit frater Sigeberti. Quem Chlodoveus vinculatum carceri mancipavit, & crudeliter, ut dignus erat atque ad mortem tormentavit. Austrasii Hildricum filium Chlodovei assumunt, & in regno Austrasiorum, quod Sigibertus patruus ejus tenuerat, Regem constituunt.* Confer VITAM SANCTI REMACLI apud SURIUM T. V. cap. 21. GESTA EPITOMATA cap. 43.

LATERCULUS TILIANUS sive CHRONICON BREVISSIMUM apud DUCHESNIUM T. I. pag. 781: *Childebertus adoptivus Sigeberti Regis, filius Grimoaldi regnavit annos VII*, annos in tot menses convertendos esse recte monet Pagius. Concessit fatis Sigibertus 1 Februarii 655. Dejectus Childebertus intrusus ejusdem anni Augusto mense, postquam Nivardus Episcopus Rhemensis *præceptum immunitatis a Childeberto Rege super telonis & quibusdam tributis Ecclesiæ Rhemensi obtinuerat*, teste FLODOARDO Historia Rhemensi l. 2. cap. 2, paterque Grimoaldus morte a Clodoveo punitus est. Tum Austrasiæ regnum suscepit Clodoveus, regiaque pote-

ſtate quædam Rhemenſi Eccleſiæ largitus eſt referente FLODOARDO l. 2. cap. 7. Sed anno 660 tradidit Childerico fratri Auſtraſiam, retenta ſibi Neuſtria. Epocham pandit privilegium in VITA S. LANTBERTI Lugdunenſis Epiſcopi a Monacho Fontanellenſi, vivente Ludovico Pio, ſcripta apud MABILLONIUM Seculo III Benedict. Parte II. --- *Facta eſt hæc Regia largitio Arlauno jucundo palatio undecimo anno præfati Regis* Childerici *in Auſtria, qui fuerat primus in Neuſtria; porro ejuſdem Rectoris Cœnobii,* LANTBERTI ante adeptum Epiſcopatum Abbatis Fontanellenſis, *lucidiſſimi anno quinto, ex quo regiminis locum ſortiebatur poſt deceſſum feliciſſimum magni patris Chriſtique clariſſimi Sacerdotis Wandregiſili.* Succeſſit Childericus fratri Chlodoveo anno 670 primus ergo in Neuſtria annus ejus decurrebat 670 & potiſſimum 671, quorum ultimo ſi ſubtrahas XI annos, remanet primus Childerici in Auſtria 660. Lantbertus in locum Wandregiſili ſuffectus probante PAGIO die XXVI Julii anno 667, quintum auſpicabatur annum 26 Julii 671. Unde pateſcit, Childericum poſt 26 Julii 660 Auſtraſiorum regno potitum. Monarcha factus 670 Auſtraſios ſub poteſtate retinuit ad mortem uſque 673 quo ſucceſſorem in Neuſtraſia nactus Theodoricum fratrem. At Ebroinus ex Monaſterio dilapſus *CLODOVEUM Clotharii III creditum filium Auſtraſiis impoſuit Regem eodem anno, nec ita longe poſt reconciliatus Theodorico deſeruit Regem fictum, eoque fecit, ut Clodovei Regnum evaneſceret ſtatim.* Inter has turbas Imnechildis Regina manibus pedibusque obnixe omnia fecit, ut filium Dagobertum per novem annos exulem ex transmarinis partibus in regnum paternum reduceret, ſuique voti anno 674 damnata fuit.

Ignoratum fuit Regnum Dagoberti II per mille fere annos, omnibus, qui de Regibus Merovingicis memoriæ prodiderunt, donec tandem GODEFRIDUS HENSCHENIUS res Meroveadarum excuſſurus anno 1635 in locum MALMESBURIENSIS & BIOGRAPHI S. SALABERGÆ incideret, eorumque autoritate fretus, ſingulari diatriba de tribus Dagobertis Antwerpiæ 1655 excuſa, invictis argumentis reditum Dagoberti II & regnum in Alſatia vindicaret. HADRIANUS VALESIUS præreptam ſibi reſtituti Dagoberti gloriam dolens eo tempore, quo in ſcribenda hiſtoria Francica ſuam operam collocaret tum alibi tum potiſſimum in præfatione T. II. laudibus Henſchenii adeo obtrectavit, ut parum abeſſet, quin eum plagii inſimularet. Reſpondit HENSCHENIUS modeſte VALESIO, at iſte divulgato alio libello anno 1658. claris verbis conteſtatus eſt, ſibi novi inventi deberi honores, quod *primus*, ut verba ejus habent, *anno 1647. ex Malmesburienſi & S. Salabergæ Vita didicerit & obſervaverit Dagobertum,*

regno

regno ac domo expulsum, & a Wilfrido Eboracensium Episcopo hospitaliter exceptum, equisque & armis instructum revertisse in patriam, quare & in præfatione Tomi II rerum Francicarum præfixa, dixerit; Dagobertum videri restitutum in regnum, quibus in fine subjungit: *se hanc nuperam observationem suam festinasse proferre in lucem, ne a quoquam, ut jam sæpe sibi contigisset, in illius editione præveniretur, atque postea ad repetendam rem compelleretur miserrima necessitate.* Insultationem ejusmodi impunitam dimittere non visum fuit HENSCHENIO. Opposuit itaque Valesio Appendicem Apologeticam annexam Exegesi II præliminari de Genealogico stemmate regum Francorum, primæ stirpis Tomo III Martii præfixæ, inque ea denuo sibi asseruit restituti Dagoberti laudem, simulque liti colophonidem imposuit. Ut vero inventis facile est addere quid, sic etiam a HENSCHENIO detecta veritas tot argumentis a sequentis ævi summis Historicis corroborata est, ut nobis nihil sit reliqui, quam argumenta Chronica eorum, locaque Autorum descripta hic repetere. Sub introitum statim monemus extare apud LE BLANC pag. 74. duos solidos aureos parvos utrumque nomine: DAGoBERTω insignitum, in alterius vero aversa parte legi: REX DEUS sive DEUS REX, in alterius: REX FELIC. Utrumque mutuatus est LE BLANC ex Cl. BOUTEROUE Conseiller en la Cour de Monnoyes libro anno 1666 Parisiis edito: Recherches des Monnoyes de France, atque præeunte BOTEROVIO a Dagoberto II in FELICEM, gratia DEI, sui restitutionem flari curatos arbitratur. Locus MALMESBURIENSIS l. 3. de gestis Pontificum Angliæ apud SAVILE pag. 262 sic habet: *Winfridus,* nuper Episcopatu Licefeldensi dejectus ex Anglia discedens, *Gallico littori forte appulsus in Theodericum Regem & Ebroinum Ducem Francorum incidit, quibus a Britannia mandatum erat, ut Wilfridum Episcopum, sede* Eboracensi, pridem ab Egfrido rege pulsum *caperent & spoliarent. Quem illi errore nominis* (Winfridi & Wilfridi) *alii, sociis occisis & rebus ablatis, abire siverunt. Luit ergo ille ambiguitatem vocabuli, alienumque periculum suo redimens, vel nudus profugit a latronibus. At Wilfridus, cujus prudentiam hostilium consiliorum machinæ non laterent, levi Favonio provectus in altum proras in Eurum obvertit, ut Frisiam navigaret, exceptusque a Rege & populo honorifice, ibidem hyemem, quæ imminebat, exegit --- Continuo igitur ad prædicationem ejus Adalgisus Rex gentilem tumorem inflexus, faciliorem in ceteros prædicationis viam aperuit --- Jamque se verna temperies aperiebat in flores, cum Wilfridus itinere reincepto ad DAGOBERTUM REGUM TRANSRHENANORUM FRANCORUM venit. Is non immemor, quod eum quondam factione Magnatum pulsum, & de Hybernia ad se venientem, hospitio receperit, & equis sociisque adjutum patriæ remiserit, benigne habuit, multisque precibus fatigavit, ut provinciam remanentia sua dignaretur, Episcopatum STRATEBURGENSEM accipiens. Cum ille re-*

gantem

gantem ad reditum suum Roma distulisset, cum Deodato suo ire laxavit. Verba VITÆ S. SALABERGÆ ad filiam ejus Austrudem scriptæ ab Anonymo coætaneo apud DUCHESNIUM T. I. pag. 649. hæc sunt: *Denique Salaberga auctore Deo omnem spem suam post Deum beato viro Walberto --- committens --- Cœnobium puellarum in suburbio Lingonicæ urbis in hæreditate vel successione paterna construr exstruere --- qui locus licet Austrasiorum finibus immineret, vicinus tamen Burgundiæ erat --- Sed cum jam pars maxima fabricæ Monasterii instructa esset, cupit famula Christi præsaga, ut pote spiritu Dei repleta, sagaci cum viro trutinare animo, non esse in eodem loco puellarum Cœnobium tutum nihilque stabilitatis habere munitionisque locum. Nam licet barbaries procul abesset, Regum tamen limitibus hinc inde admixtis periculi indicium futurum temporibus erat, quod periculum nos deinceps vidimus. Denique nuper civile bellum inter Reges Francorum Theodericum & Dagobertum* (Duchesne in fine addidit: *legendum videtur Childericum, qui fuit Austrasiorum Rex, ac Theodorici ipsius frater*) *circa illos fines est actum, loco vicina quoque depopulata, agri villæ ædes & ipsæ, quod gravius est Sanctorum corpora, igne sunt cremata.*

Addidit his VALESIUS tertium testem ANONYMUM, qui Vitæ S. Memmii tria capita de miraculis subjunxit, rerumque, quas scripsit, oculatum se testem esse dixit, *novissimo*, is inquit apud VALESIUM & ECCARDUM, pag. 258: *tempore in anno secundo sub Imperio Dagoberti Regis (ipse est, qui post longam pressuram reversus est ad propria regna) in mense quinto, in quinto die mensis accidit miraculum --- in urbe Catalauno ---* Evulgavit porro HENSCHENIUS pag 95 diploma a Dagoberto Abbatiis Stabulao & Malmundario concessum, unde hæc in nostram rem decerpimus: *Dagobertus Rex Franchorum, illuster vir. Illud nobis ad stabilitatem regni in Dei nomine provenire confidimus, si facta Domni & GENITORIS NOSTRI SIGEBERTI quondam Regis pro nostris oraculis in Dei nomine firmare deliberamus. Atque ideo vir venerabilis Goduinus, Abba de Monasterio Stabulao & Malmundario, clementiæ regni nostri suggessit, eo quod Dominus & genitor noster Sigebertus Rex S. Remaclo ex villa cognominante in pago Remense ad suprascripta monasteria, quæ sunt in Arduenna, quæ ipse Princeps suo opere construxit, ipsa villa Germiniacum ei --- per suam præceptionem concessisset ---* Confirmarunt suis privilegiis dagobertinum hoc diploma Gregorius V Papa, Leo IX Papa, Ludovicus Pius, Ottones alii Imperatores, quæ legere sunt apud HENSCHENIUM pag. 99. seqq, unde genuina chartæ authoritas abunde constat. Constat vero etiam ex PRÆCEPTIONE Theodorici Regis *Goduino ipsi Abbati Stabulensi*, qui in Dagobertino diplomate memoratur, data apud HENSCHENIUM pag. 143, nec Dagobertum I nec Dagobertum III conditorem fuisse chartæ, sed indulgentiam a Dago-

berto II Austrasiæ Rege profectam. Porro aliud diploma ex Coccio affert HENSCHENIUS pag. 84. in honorem Argentinensis Ecclesiæ concessum, in quo *Exheredatum si* quondam testatur ipse Rex: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Tagebertus divina favente clementia nobilissimus Rex. Notum sit omnibus --- qualiter ego Tagebertus EXHÆRIDITATUS Christo volente, propriis bonis* (sic rectam lectionem restituit HENSCHENIUS, cum in Coccio legeretur, *filiis*) *S. Mariam mihi in hæreditariam hæredem acquisivi ---* Clausula ab impostore interpolata sic sonat: *Acta sunt hæc IV Nonas Aprilis Luna VII Anno ab Incarnatione Domini 662 Indict. V regnante Tageberto Rege anno XXXII regni sui.* Dagobertus primus, quem ferunt Argentinenses autorem diplomatis decimo sexto regni anno, 638 obierat, unde interpolatio claret. Corrigenda vero clausula: *Indict. V anno IIII regnante Tageberto,* quæ notæ Chronicæ in annum 677 conveniunt, nostrumque Dagobertum benefactorem arguunt. Tot coætaneorum gravissima testimonia nec de ortu nec de regno dubitare sinunt. Evolvenda jam restat chronologia regni Dagobertini in Germania. Quæ supra recensuit MALMESBURIENSIS, HEDDIO STEPHANO accepta tulit, qui coævus vitam Wilfridi Eboracensis in litteras retulit. Is postquam fuse edisseruit, *Wilfridum in Ecfridi Regis Northumbriæ odium incidisse, ideoque sine ulla causa gradu Episcopali dejectum, Papam in auxilium vocatum ex Anglia vela solvisse Romam petiturum,* addit cap. 24: *Inimici vero præsulis malorum suorum memores, putantes in Austrum ad Quoentavis* (locum hunc *Estables* hodiernum interpretantur MABILLONIUS supplem. & ECCARDUS pag. 261) *navigantem, & via rectissima ad sedem Apostolicam pergentem, præmiserunt nuncios suos cum muneribus ad Theodoricum Regem Francorum & ad Efruinum impium Ducem, ut aut exilio majori damnarent, aut occisis sociis omni substantia sua spoliarent.* Wilfridum vero, *vento ab Occidente flante,* pergit EDDIUS, delatum esse *ad Orientem, usque dum in Freis* (Frisiam) *prospere cum omnibus pervenerit,* ibique ab *Algiso Rege honorifice susciperetur.* Annum quo sede motus Wilfridus designat BEDA in Breviario sive Recapitulatione suæ Historiæ edit. Commelinæ pag. 278: *Anno 677 Cometa apparuit: Wilfrid Episcopus sede sua pulsus est ab Ecfrido Rege.* Et in Historia Ecclesiastica l. 4. cap. 12. pag. 231: *Anno Domini Incarnationis 678, qui est annus imperii Egfridi octavus, apparuit mense Augusto stella, quæ dicitur Cometa --- Quo etiam anno orta inter ipsum regem Ecfridum & Rev: Antistitem Wilfridum dissensione, pulsus est idem Antistes a sede sui episcopatus ---* BEDAM secutus THOMAS STUBBS in Actibus Eboracensium Pontificum pag. 1695, inquit: *Pulsus est ab Episcopatu sanctus Wilfridus anno ab Incarnatione Domini DCLXX VIII, qui est annus Episcopatus sui XIII, & per decennium exulavit.* Cui antiquior RICARDUS

R HAGUL-

HAGULSTADENSIS consentit pag. 194. Annum 677, qui in Comelini editione & apud recentiores 678 falso habetur, ex Codice Trevirensi vetustissimo & San Germanensi PETRUS FRANCISCUS CHIFFLETIUS in dissertatione de annis Dagoberti Regis cap. 7 & 10 restituit. WESTMONASTERIENSIS & SIGEBERTUS ad eundem 677 annum notarunt *Cometam apparuisse.* ANASTASIUS Vita Doni Papæ pag. 142 edit. Murat: *Hic Papa,* inquit, *dum esset electus, per Augusti mensem apparuit stella a parte Orientis, a Galli cantu usque ad mane per tres menses.* PAGIUS solide demonstravit non alium Augustum mensem nisi anni 677 Donum Papam vivendo attigisse. Quæ omnia affatim evincunt, Wilfridum injusta fata passum ex Anglia auffugisse anno 677. *Postquam Wilfridus in Fresia biemaverat,* pergit EDDIUS, cap. 27: *populum multum domino lucratus, verno tempore adveniente ceptum iter DEO adjuvante ad sedem Apostolicam carpebat, veniens ad FRANCORUM REGEM nomine DAEGBRECTH, qui cum honore mansvetissime pro meritis ejus ante actis in eum, suscepit --- Nam supradictus Rex in juventute sua ab inimicis regnantibus in exilium proditionis pulsus, navigando ad Hiberniam insulam, Deo adjuvante, pervenit. Post annorum circulum amici & propinqui ejus viventem & in perfecta ætate florentem a navigantibus audientes, misere nuntios suos ad Beatum Wilfridum Episcopum petentes: ut eum de Scotia & Hibernia ad se invitasset, & sibi* Austrasiis *ad Regem emisisset, & sic Sanctus Pontifex noster perfecit, suscipiens eum de Hibernia venientem, per omnia ditatum, & viribus sociorum* Principum Angliæ *elevatum ad suam regionem misit.* Susceptus itaque est anno 678 humanissime a Dagobertho non ingrato tantorum beneficiorum, non tamen persvaderi potuit, ut Argentoratense amplecteretur Episcopium, quod ex EDDIO narrat MALMESBURIENSIS, sed aliquantisper moratus Romam profectus est. *Vix discesserat a Dagobertho Rege Wilfridus,* sic verba EDDII recitat ECCARDUS pag. 262, *cum ille per dolum Ducum & consensu Episcoporum insidiose occisus est ---* Post anni circulum Wilfridus Roma redux *in regionem Francorum pervenit: ibique nuper amico suo fideli DAECGERTHO REGE per dolum Ducum & consensu Episcoporum, quod absit, insidiose OCCISO, ex quibus unus cum ingenti exercitu obviavit cogitans impie in corde suo insidias, nisi Deus restitisset ei, sodales suos omnes spoliatos, aut in servitutem redigere, aut vendere sub corona, seu rebellantes occidere atque pastorem Wilfridum anxiatum in custodiam usque ad Efruini Ducis reservare judicium. Interrogavitque eum Episcopus,* quem MABILLONIUS Faramundum Trajectensem opinatur, *dicens: qua fiducia tam temerarie per Francorum regionem pergis, qui dignus es morte: quia nobis Regem subsidio tuo factum exilio emisisti. Dissipator erat urbium, consilia seniorum despiciens, populos, ut Roboam filius Salomonis, tributo humilians, Ecclesias Dei cum Præsulibus contemnens: quorum malorum pœnas luens*

occisus,

occisus, cadaver ejus humatum jacet. En causas frivole optimo Regi impactas, cur neci datus sit. Vidimus Wilfridum anno 677 ex Anglia solventem tranacta hieme Dagobertum convenientem 677, & 678 Roma reducem occiso Dagobertho. Unde sole meridiano clarius patescit, anno 678 per scelus Dagoberto mortem illatam esse. Adstipulatur egregie CONTINUATIO FREDEGARII cap. 101, cum Theodorico III annos regiminis XIV tribuat tantum, æra Austrasiæ regni ab Austrasio Autore observata. Qui si incompleti ab anno Theodorici obitus 691 detrahantur, resultat annus 678 primus Theodorici in Austrasia regni. Diem & genus mortis memoriæ prodiderunt tum Psalterium Emmæ Lotharii Regis Francorum uxoris apud MABILLONIUM in Præfatione Partis II Seculi III Benedictini & ECCARDUM pag. 263, cui præfixa hæc verba leguntur: *X Kalendas Januarii S. Dagoberti Regis & Martyris*, tum ADONIS Martyrologium MS in Monasterio S. Laurentii prope Leodium conservatum apud HENSHENIUM de tribus Dagobertis pag. 191. *ad. XXIII Decembris: Eadem die Passio S. Dagoberti Regis Francorum, qui quadam die pergens venatum in saltu Vaurensi, in loco qui dicitur Scortias, tribus milliaribus distante a fisco Sataniaco* (Stenay ad Mosam) *in quo ipse morabatur, a filiolo suo Johanne X Kalendas Januarii martyrizatus est; & ab Angelis deportatus est ad societatem Martyrum.* Locus sepulturæ innotuit ex FRIDEGODI Vita S. Audoeni Rothomagensis apud DUCHESNIUM T I pag. 638, & SURIUM T. IV. cap. 32. *In qua Basilica Rothomagensi etiam duæ ejus* Clotharii II *Uxores & Reginæ conditæ sunt, Haltetrudis & Bertetrudis, itemque DAGOBERTUS FILIUS SIGEBERTI REGIS, quem tetendit Grimoaldus, atque etiam Childericus Rex frater Theodorici cum uxore Bilhilde & filiis, quos ipse Vir sanctus jam olim illic sepelierat.* Qui vero cadaver Rothomagum delatum sit, vix concipitur animo. Moverunt ideo nonnulla dubia Eruditi, quæ cum nostri non sit excutere, ipse sis legas apud HENSCHENIUM l. c. Demonstrato anno fatali Dagoberto retrogrediendum ad bellum Dagoberti cum Theodorico III Rege consobrino, cujus BIOGRAPHUS SALABERGÆ mentionem fecit. Meminit ejus quoque CHILDEBERTUS II Rex in placito apud MABILLONIUM l. 6. cap. 21 pag. 472, *ante hos annos*, inquit, *quando genetur noster Theudericus quondam Rex partibus Auster hostiliter visus fuit ambolasse ---* Anno 677 bellum gestum esse, præeuntibus MABILLONIO & PAGIO sic demonstrat ECCARDUS pag. 260: Theodoricus Rex *medio Septembri anno quinto Regni sui placitum* apud MABILLONIUM l. 6. cap. 10 dirigit *viris illustrebus Audoberto & Rocconi Patriciis & omnibus Ducibus seu Comitebus, vel Actoi ebus publicis*, in quo hæc: *Dum & Episcopos de rigna nostra tam de Niuster quam & de Burgundia pro statu Ecclesiæ vel con-*

 firmatione

firmatione PACIS ad nostro Palatio Marlaco villa jussemus advenire — Theodoricus excepit fratrem in Neustria & Burgundia media æstate anni 673. ut in Childerico III probabimus. Qvintus itaque annus ejus, regni Neustrasiæ, hanc enim Epocham intelligendam ex placito patet, media æstate anni 677 exorsus Septembrem anni 677 complectebatur, quo mense pax inter Dagobertum & Theodoricum percussa fuit. Neque alia bella Theodorici loquuntur monumenta, præter istud cum Dagoberto & internecinum cum Pippino Majore domus. Hoc gestum est anno 687 nec ideo de componendo eo anno 677 agi potuit. Ergo primum innuatur, necesse est. Superest, ut eruatur annus restituti Dagoberti. HENSCHENIUS de tribus Dagobertis passim sibi persvasit, Childerico in Austrasiis potito rerum Dagobertum redivivum in Alsatia regnasse. MABILLONIUS loco quodam PAULI DIACONI confisus ultimis Childerici annis revocatum opinatus est, ast postea meliora edoctus epocham restituti Regis ab anno 674 traxit, in quo post VALESIUM omnes ei adstipulantur his argumentis inducti. *DIPLOMATIS*, quod ex HENSCHENIO supra retulimus, *facta exemplaria sub die Kalend. Augusti anno quarto regni Domini nostri Dagoberti Regis* leguntur pag. 99. Ergo cum anno 678 occisus fuerit, Augusto mense 675 jam regnavit. Childericus III enectus media æstate 673, eique successor ab Ebroino datur Clodoveus, Clothario III affictus filius. Certissimum indicium, neminem tum extitisse, in Austrasiæ partibus, quem opponeret Theodorico. Qvodsi enim adfuerit Dagobertus, indubitatam Meroveadarum sobolem fictæ prætulerit. Mox vero, spreto Clodoveo, cum Theodorico in gratiam rediit. Hæc uno aliove die vix gesta videntur Mensibus opus erat; Dum vero hæc agerentur, Imnichildis Regina & Wulfoldus Auster Wilfridum Eboracensem flagitarunt, ut remitteret Dagobertum exulem, qui vacuum Rege paternum regnum sibi vindicaret. Ipsum advenisse oportuit anno 674. Missi nuncii; iter Dagoberti ex Hibernia in Angliam; apparatus Regis, icta fœdera; transmissus in Austrasiam; etiam si hæc omnia a morte Childerici acta sint, facile dimidium annum consumserunt, nec permisere Dagoberto, ante annum 674 ejusque primos menses regni Austrasiæ capessere fasces. Constituto denique anno 674 primo Dagobertini Regni, Stabulao & Malmundario concessum diploma anno 677, Rexque interfectus vel currente quinto Regni anno, juxta PAGIUM, qui ex clausulis veteribus Codicis Weingartensis a MABILLONIO Anal. T. IV. pag. 233 recensitis, ante diem 25 Martii 678 occisum colligit, vel evulato quinto, currente sexto, quodsi ADONIS Martyrologio fides habenda.

MATHIL-

MATHILDIS Anglo-Saxonica, Uxor, & SIGEBERTUS filius Dagoberti II.

Uxor nititur unico testimonio BRUSCHII de Episc. Argent. neque absonum est creditu, Dagobertum, dum in Hibernia ageret, Anglo-Saxonici cujusdam vel Regis vel Ducis filiam in matrimonium sibi expetiisse.

Fragmentum Vrstisianum pag. 74: *Eodem tempore circa annum 675 beatus Arbogastus exiitit, qui FILIUM DAGOBERTI a morte suscitavit, & Florentius, qui FILIAM EJUSDEM REGIS a Dæmonio vexatam liberavit, Argentinæ vicissim succedentes Episcopi, claruerunt.* Addit HENSCHENIUS ex actis MS. S. Arbogasti pag. 85: *Erat is,* filius, *calcibus equi miserabiliter protritus. Evocatus S. Arbogastus, in oratione pernoctavit. Inter orandum puer quasi gravi somno excitatus, caput extulit, quem vivum erexit Arbogastus.* Quod filio nomen fuerit, latet. HENSCHENIUS Sigebertum putat dictum fuisse nomine avi. Eadem cum patre fata passum, docet CONTINUATOR FREDEGARII cap. 97: *In Austria quoque mortuo Wulfoaldo duce, Martinus Dux & Pippinus filius Ansigisili quondam Franci dominabantur.* DEFUNCTIS REGIBUS Dagoberto & filio *commissis invicem principibus Ebruino, Martino atque Pippino, adversus Theodoricum Regem exeitantur ad bellum* ---

Filiam sanatam, quam Rothildem COCCIUS vocat, Acta MSta S. Florentii apud HENSCHENIUM l. c. pag. 87 tradunt *a nativitate cæcam & mutam fuisse. Rex igitur agnita* Florentii *sanctitate, ut ad se veniat deputatis honestis nuntiis interpellat. Beatus vero Florentius accersitus palatium Regis adiit, sed Regis filia, viro Dei cominus existente, videndi pariter & loquendi dona percepit præsentibus omnibus suæ salutis annuncians auctorem.* Meruit eo Florentius, ut Kirchheimio donaretur, ejusque intercessione Cœnobium Haslacense construeretur, quod fusius prosequitur HENSCHENIUS loco citato.

IRMINA filia Dagoberti II.

Consignavit literis Vitam S. Irminæ THEOFRIDUS EPTERNACENSIS Sec. XIII. Unde hæc apud HENSCHENIUM Diatriba toties hau-

laudata, pag. 110, leguntur excerpta : *Hanc in primæva adbuc ætatis flore HERMANNUS quidam Comes Gallicanus, nobilis & egregiæ indolis, conscripta sibi amplissima dote in Tyrasio* (le Tierasche) *& aliis locis desponsaverat : sed ante diem nuptiarum immatura morte præventus, magnum triste suis, magis autem ipsi sponsæ suæ pararaverat. Quam cum pater benigne consolaretur, & ditiorem & potentiorem maritum ei polliceretur : illa de hoc promisso patris fidem exegit. Qua accepta, protinus Christum Regem Regum ditiorem & potentiorem omnium, cui servire regnare est in sponsum elegit. Unde Rex pietate ac sapientia mirificus --- favens electioni ejus, ad vota sua animum suum laxavit, & præter dotem privati Comitis, quod eam de hæreditate paterna vel materna contingebat, ad ædificanda Sanctorum loca pro magnificentia regali alacriter ei delegavit --- Unde Treviri in honore Theotocos Mariæ ædificato monasterio in loco, qui dicitur Horreum, aggregavit ibi cœtum sanctimonialium, quorum ipsa facta est Abbatissa. Quem locum fundis prædiis & amplissimis reditibus ditavit, & regali ditioni tunc temporis eum assignavit ---*

DIPLOMA apud MASENIUM Annal. Trevirensibus pag. 606 sed curatius, ut GELENIUS ex Autographo descripsit, apud HENSCHENIUM de T. D. pag. 108 : *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. DAGOBERTUS divina præordinante providentia Rex. --- Comperiat ergo omnium --- industria, quia rogatu dilectæ conjugis nostræ Reginæ* (in HENSCHENII editione omissum nomen in MASENIANA extat) *NANTHILDIS Monasterio in Treverica valle in honore S. Dei Genitricis ab IRMINA FILIA NOSTRA constructo --- has villas --- legali autoritate contradimus --- Præterea --- notum fieri volumus, qualiter dilectissima filia nostra Irmina allodium suum, quod in Laudunensi Episcopatu in his locis Ludusa &c. --- a sponso suo HERMANNO scilicet COMITE, in dotem legali traditione suscepit, pro remedio animæ suæ, & prædicti sponsi sui, ad idem monasterium, quod vocatur Horreum --- per nostram manum --- contradidit --- Actum anno DCXLVI Incarnationis Domini Indictione IV Sept. Kalend. Sept. --- Anno regni Domini Dagoberti II. Treviris in Domini nomine feliciter. Amen. Signum Dagoberti Regis.* Corroboravit novo documento diploma Dagobertinum Philippus Rex Franciæ anno 1307, quod legere est apud MASENIUM pag. 609. Utrumque ex autographis descripsisse fatetur MASENIUS, at subscriptionem a recentiori adjectam evindicant tum anni non cohærentes, tum Incarnationis epocha, eo tempore in diplomatibus nullibi obvia. Cæterum BROWERUS atque MASENIUS COCCIUSque id unice agunt, ut Dagoberti I filiam Irminam demonstrent. VALESIUS vero omnino negavit filiam Dagoberti. At sententia HENSCHENII in Diatriba de tribus Dagobertis prolata de ortu Irminæ ex Dagoberto II & Mathilde conjugibus, cujus

nomen

nomen obscurius scriptum in Nanthildem notiorem librarii posterioris ævi corrupere, salva stat atque incolumis. Ut enim taceam, Irminam si putaveris Dagoberto I satam, moriente eo, vix octavum attigisse annum, adeoque nondum compotem fuisse condendo Monasterio nedum contrahendo cum Hermanno Comite conjugio, rationes annorum vitæ Irminæ Dagoberti II filiam luculenter probant. Exstat TESTAMENTUM ejus tum apud MARTENIUM Collect. Ampl. T. I. pag. 11. phrasi primigenia, tum apud BROWERUM Trevirensibus pag. 359, deflexis verbis: quod deficiente Collectione Amplissima ex BROWERO repetimus; *Irmina in Christi nomine Dei sacrata etsi indigna gratia Domini Abbatissa sana quidem, Deo propitio sanoque consilio testamentum perscribendum rogavi, idque negotium fratri in Christo meo Huncioni Presbytero mandavi. Dono itaque --- Basilicæ sanctæ Trinitatis --- quæ est in prædio nostro exstructa Epternaco ad amnem Suram, ubi Dominus & Pater noster in Christo Willibrordus Episcopus rector & gubernator esse videtur, donatumque esse jubeo, quicquid id est, quod ex patris & matris successione crevi, --- Baidelingum, Matholfingum, portionemque nostram in Oxinvillario, omnia, inquam hæc lego --- de sententia consilioque tum Virginum, quæ mecum una congregatæ vivunt, quam Apostolicorum virorum Basini & Lutuwini Episcoporum. Ego Huncio in Christi nomine Presbyter, rogante & jubente Domina mea Irmina hoc testamentum perscripsi, & ipsa subter manu propria una cum testibus firmavit. Ego Irmina hoc testamentum meum relegi --- Actum Treberi die Kalendarum Decembris anno quarto regni D. N. Childeberti Regis.*

Annus Childeberti IV incidit in annum Incarnationis 701, quo condidit testamentum. Anno 709 jam decesserat. *Pipinus* enim *filius Ansgisi quondam* diplomate apud BROWERUM pag. 361 *donat Monasterio in loco, qui cognomentum gerit Epternacum, illud Epternaci dimidium, quod Theodharius quondam Dux ibidem obtinuit, & postea filius ejus Theodardus nobis quondam tradidit, iis tamen facultatibus exceptis, quas Irmina in ipso Epternaco possedit. Actum Gaimundis III Idus Majas, regni D. N. Childeberti anno XII* --- qui cum anno 709 cucurrit. Obiit ergo sexagenaria si cum Dagoberto I genita fuerit major. Soror fuit authoritate THEOFREDI EPTERNACENSIS atque consensu omnium Adelæ Abbatissæ. Istam adhuc anno 731 vivam deprendimus, centumque fere annis post fata Dagoberti I defunctam oportuisset, cujusmodi ætas rarissime contingit mortali credulitatemque fere excedit, nisi diserto scriptorum testimonio dubiis eximatur. Adelam porro demonstrabimus non alio patre nisi Dagoberto II generari potuisse. Cum itaque Adela Dagoberto II sata, & Irmina patre isto sata esse debuit. Sepulta jacet in Alsatico templo Weissenburgensis Monasterii a Dagobertorum quodam, ferente

fama.

fama, conditi, teste epigraphe sepulchrali, quam COCCIUS oculatus testis Dagoberto suo inseruit exque eo MASENIUS recitat pag 608, his verbis: *Hic reconditum est integrum Corpus B. Irminæ Virginis, filiæ Dagoberti, Regis Francorum, fundatoris hujus Monasterii.* Colitur die XXIV Decembris teste PAPEBROCHIO in Propylæo Antiquario T. II. Aprilis pag. 2.

ADELA & RAGENETRUDIS, filiæ Dagoberti II.

TESTAMENTUM apud BROWERUM Trevirensibus, pag. 357: *ADELA in Christo Domino sacrata Abbatissa DAGOBERTI regis quondam FILIA. Cum pervulgatum notumque bonis omnibus sit: quemadmodum nos Monasterium in villa, quæ dicitur Palatiolum, in ripa positum fluminis Mosellæ, quod ipsum a Pipino Majore domus Treviris permutatione quæsivimus, honorique Sanctæ Mariæ virginis genitricis Domini nostri Jesu Christi & bb. Petri & Pauli cæterorumque Sanctorum jam dudum ad proprii Monasterii usum exstruximus, --- faciendum denique nobis visum est, ut has vitæ degendæ necessarias opes, quas de propriis hactenus largitæ sumus, testamenti etiam præsenti pagina confirmaremus. Legamus itaque & donamus, huic, quod diximus, Monasterio, villam nostram, quæ dicitur Palatiolum: in qua Cœnobium esse constructum videtur. --- Addi volumus his prædium Scripnasium in pago Mosao situm ad ipsius Mosæ fluminis ripam omnesque possessiones ejusdem villæ, uno duntaxat quadraginta jugerum agro excepto, quem Insulæ nomine appellatum jam ante dulcissimo FILIO ALBERICO donavimus. Similiter a Deiparæ matris hoc monasterio, possideri prædia ea omnia mea volo, quæ in Bietbergis, Beslancioque sita, quæque a dulcissima GERMANA MEA REGINTRUDE dato pretio comparavi --- Datum Kalendas Aprilis anno XII Theoderici Regis.* (731)

S. Ludgerus primus Monasteriensis Episcopus in Vita S. Gregorii Abbatis Trajectensis apud SURIUM 25 Augusti pag. 277: Cap. 2: *Est mihi sermo iste de Domno Gregorio Abbate & Præceptore meo ab infantia: qui de nobili stirpe Francorum progenitus --- spiritualem nobilitatem & prudentiam assecutus est a Sancto Martyre Bonifacio --- cui --- B. Gregorius hoc modo adhærere cupit, & discipulatum ejus subire.* Cap. 3: *Cum ipse post tredecim annos, dum admonitus a Deo Bonifacius, ad Hassos & Thuringios, Orientales regiones Francorum, iter agere cupisset, lucrandorum Deo populorum caussa, pervenit ad Palatiolum, monasterium virginum prope Treviris civitatem in ripa fluminis Mosellæ, cui tunc præerat Abbatissa nomine Addula, religiosa valde ac timens Deum. Quæ cum vidisset athletam Dei peregrinum & egentem,*

tem, gratulabunda recepit eum in hospitium suum --- Inter cœnandum --- *quæsitus est lector, & juxta Dei voluntatem, inventus est electus puer GREGORIUS, qui per idem tempus nuper a schola, & palatio reversus, sub laico adhuc habitu, quasi quartum decimum aut decimum quintum agens ætatis annum, Dei instinctu, venit ad aviam suam, id est, ad MATREM PATRIS SUI ALBRICI supradictam Abbatissam Deum timentem ADDULAM, datusque ei est liber, qui accepta benedictione cœpit legere.* --- Gregorius *ivit ad aviam suam prædictam Abbatissam venerabilem Addulam dicens, se velle cum homine pergere* --- *Addula* --- *dimisit eum ire* --- Cap. XI : --- *nunc de B. Gregorio* --- *quæ potui* --- *literis commendara curavi.* --- *Fuerunt ei FRATRES NOBILES & eximii de PATRE GENITI, & de MATRE ejus nati alii FRATRES, & tempore & viribus secundum sæculi dignitatem minores; quibus necesse erat in obsequio esse majorum. Factum est autem, ut aliqui ex majoribus fratribus honorati a Rege* Carolo Martello vel Pippino, *mitterentur in longinquiora regna Galliarum, illuc & subsequi & inhærere necesse erat junioribus. Dum vero post spatium temporis peracti, & parentes visitare placeret, & patriam, accepta licentia a senioribus suis duo UTERINI FRATRES Præceptoris mei GREGORII cœperunt ire, propositam carpere viam, ut ad Franciam, id est, naturale solum, pervenire potuissent. Qui dum irent in via, juvenili audacia amplius secuti, quam oporteret, in quadam silva, latronum crudeli manu circumdati & OCCISI sunt.* --- Cap. 13 : --- *B. Gregorius* --- *in loco qui nuncupatur Trajectum* --- *S. Bonifacio* --- *successit pius hæres.* --- Cap. 17 : --- *beatus Abbas meus & Præceptor Gregorius dum* -- *prope jam ad SEPTUAGINTA annorum ætatem* --- *perveniret, adfuit dies, in qua* --- *tribus annis ante obitum suum, arreptus est* paralysi. Cap. 18 : --- *Tertio anno incboatæ ægritudinis* --- *tunc cœperunt conqueri & contristari, qui ibidem adfuerunt* --- *amici, tam de transitu ejus citius imminente, quam de tardatione Electi filii ejus ALBRICI, in quo totius domus spes magna incubuit, qui tunc temporis in Italia erat regali servitio occupatus* --- *triduo vel quatriduo ante transitum ejus venit diu optatus & Electus filius ejus Albricus inopinate* --- *tunc* --- *ad Dominum perrexit.* Obiit Gregorius septuagenarius die XXV Augusti post annos XXXII in Ultrajectensi Ecclesia moderanda exactos, quod ex LUDGERO audivimus, BROWERUSque atque BEKA de Episcopis Ultrajectensibus pag. 11 seqq. prolixius exponunt. Bonifacius invisit Palatiolum cœnobium anno 722 juxta calculum Chronologiæ vitæ Bonifacii. Tum ætatis annum agens Gregorius XV nasci debuit 708. Fatis functus 778. Abbasque Trajectensis constitutus 746. Patrem ponamus viginti annorum genuisse filium ; natus Albricus 688 ex Adula octodecim annorum conjuge ignoti patris Albrici. Adula ergo in lucem data 670 alio Dagoberto generari nequivit nisi secundo. Albricus filius Adulæ Dagobertiadæ præter Gregorium Abbatem ex duabus conjugibus

alios & filios & filias genuit, quarum ex posteriore nati Gregorii uterini a latronibus occisi dicuntur S. Ludgero in Vita Gregorii. Ex priori vero consangvineus frater Gregorii, pater factus S. Albrici Episcopi Ultrajectensis, cujus vitam quoque Ludgerus sanctus conscripsit. Testatur necessitudinem ALTFRIDUS in Vita S. Ludgeri apud Antw. 26 Martii, & LEIBNITIUM T. I. Scr. Brunsv, numero 13, pag. 88: *Abbas Gregorius migravit ad Dominum, & suscepit curam pastoralem ALBRICUS NEPOS EJUS, qui venerabilem Lutgerum cum magno diligebat affectu.* Evectus iste, nepos ex sorore an fratre, Gregorii in Archiepiscopum Coloniensem: pergit enim Autor numero 15: *Albricus autem cum in Colonia gradum accepisset Episcopalem, fecit & Lutgerum secum Presbyterii percipere gradum,* retinuitque simul Abbatiam Trajectensem, *divisit* ut est apud Biographum *idem Albricus annum in distributiones quatuor, ita ut in Trajecto monasterio præ ceteris Præpositis ipse in tempore vernali in doctrinæ studio & sanctæ conversationis præesset fratribus menses tres* — Vitam posuit Albricus Episcopus Coloniensis anno 784. ALTFRIDUS nro 18: *Cumque vir Dei Liudgerus in eadem regione* Frisia *annis fere septem in doctrinæ studio persisteret: consurrexit radix sceleris Widukind Dux Saxonum, eatenus gentilium, qui evertit Fresones a via Dei, combussitque ecclesias, & expulit Dei famulos & usque ad Fleo fluvium fecit Fresones Christi fidem relinquere, & immolare idolis juxta morem erroris pristini. Sed & Albricus Episcopus in ipsa perversa commotione de hac luce migravit.* Annum quo id factum notaverunt ANNALES METENSES, 784: *Karolus inquiunt Rex iterum ingressus est Saxoniam, eo quod iterum rebellassent, & cum eis aliqua pars Fresonum.* Consentiunt BERTINIANI, LOISELIANI VITA CAROLI M. apud DUCHESNIUM T. II pag. 54, EGOLISMENSIS, ALBERICUS ceteri. Male itaque TILIANI annum 785 assignant. MOISSIACENSES ad annum 783: *Et in sequenti anno (784) Karolus Rex perrexit in Saxoniam per duas vices. Et Olimriccus Abbas sed & Fulradus Abbas & Albricus Episcopus obierunt.* Suffragatur FRAGMENTUM Annalium apud DUCHESNIUM T. 2. pag. 22: *Anno 784 iterum Rex perrexit in Saxoniam cum exercitu per duas vices, & Helmericus Abba & Folradus Abba & Albricus Episcopus obierunt.*

De Ragenetrude hæc adjicit THEODORICUS EPTERNACENSIS scriptor seculi duodecimi apud MASENIUM pag. 611: *Dagobertus — Nantoildem de puellis in matrimonium cum regali dignitate sibi copulavit. De hac filium Chlodoveum, qui & Ludovicus nominabatur, & tres filias Regentrudem, Irminam & Adbelam suscepit. Quarum Regentrudem marito sociavit. Adbela in villa Palatiolo monasterium instituit & Virginum, quas istic adunavit, Abbatissa fuit. Irmina vero*

ctiam

etiam Deo dicata monasterium in honore Dei genitricis semper Virginis Mariæ ad horreum instituens Abbatissa venerabilis claruit. Non opus est monuisse circa patrem falli autorem, patescit enim luculenter satis Dagobertum II pro I substituendum.

CLOTHARIUS IV
creditus Dagoberti II filius.

Destituti fide dignis monumentis hærent scriptores, cui filium tribuant Clotharium IV. Conjectionibus freti, HENSCHENIUS & PAGIUS Dagoberto II perhibent satum. COINTIUS, VALESIUS, ANSELMUS, alii, Theodorici III perhibent natum. Dirimendæ liti non sumus pares. Devicto Chilperico constitutus est Rex a Carolo Martello anno 717, sed non ita longe post obiit anno eodem vel sequenti. Testimonia CONTINUATORIS FREDEGARII atque GESTORUM FRANCORUM coævis Autoribus recitabimus in Chilperico II. ERCAMBERTUS pag. 781: *Interim prædictus Carlus Princeps ad Austrasios paternarum sedium aufugiens, ibique Principatum arripiens, Regemque sibi nomine Chlodharium constituens, multa bella cum Chilperico Rege & suo Majore domus nomine Reganfrido commisit, eosque ut voluit superavit, & thesaurum patris sui a Plectrude recepit, sumque Rex Chlodharius post non multum obiit.* Patet hinc, Austrasiis tantum Regem impositum.



ASSERTIONES TABULÆ V.

CLODOVÆUS II Rex Franciæ, Dagoberti I filius ex Nanthilde.

DIPLOMA archetypum ſed mutilum apud MABILLONIUM de re diplomatica pag. 377 : *Chlodovius Rex Francorum --- pro GENITERIS noſtri DAGOBERCTI Regis manebus --- nos & præcelſa genetrix noſtra Domna - - - --- Signum Domno Chlodovio Regi. Signum præcelſa NANTECHILDE Reginæ.*

ALIUD quo libertatem Cœnobii S. Dionyſii confirmat ibidem pag. 466 : *Clodovius Rex Francorum --- in quo eciani loco,* templo Monaſterii dicti, *GENETORES noſtri Domnus DAGOBERTHUS & Domna NANTHECHILDIS videntur requiescere --- Datum ſub dii X Kalendas Julias anno XVI regni noſtri Clipiaci in Dei nomine feliciter.*

AUDOENUS coævus Vita S. Eligii pag. 631 : *--- Mortuus eſt Rex magnus & inclytus Dagobertus, & ſepultus eſt in eadem ſancti Dionyſii Baſilica ſub arca in latere dextro. Cui ſucceſſit in Regno filius ejus juvenculus ætate, nomine Clodoveus.*

FREDEGARIUS cap. 76 : *Cumque anno XII regni Dagoberti,* anno 635, *eidem filius nomine CHLODOVEUS de NANTHILDE Regina natus fuiſſet --- Auſtraſiorum omnes primati Pontifices, ceterique Leudes Sigiberti manus eorum ponentes inſuper Sacramentis firmaverunt, ut Neptricum & Burgundia ordine ſolidato ad Regnum Chlodovei poſt Dagoberti diſceſſum aſpiceret. Auſter vero --- ad Regnum Sigiberti idemque in integritate deberet aſpicere.* Cap. 77 : *Anno XVI regni ſui Dagobertus --- emiſit ſpiritum --- Poſt Dagoberti diſceſſum filius ſuus Chlodoveus ſub tenera ætate,* quinquennis enim erat patre 19 Febr. 638 decedente, *Regnum patris aſcivit. Omnes Leudes de Neuſter & Burgundia eum Maſſolaco villa ſublimant in Regnum. Ægo vero cum Regina Nanthilde, quam Dagobertus reliquerat, regebat Palatium.* Cap. 83 :

Anno

T

CHLODOVEUS II natus ex Nanthi[illegible] 22. April. 635. Successit patri in utroq[illegible] brem. *Pag. 140.*

Uxor BATHILDIS ex Britannia a[illegible] egressa 666 in Kalensi Monaste[illegible]

CLOTHARIUS III natus 651. Rex Neustriæ & Australiæ sub tutela matris 656. Obiit post Julium mensem 670. *Pag. 145.*

CHLODOVEUS filius fictus, ab Ebroino constituitur Rex Austrasiæ & statim deseritur 673. *Pag. 147.*

CHILDERICUS II. natu[illegible] Imnichildis 660. Mona[illegible] Martio mense 673 una c[illegible] berti II prægnante. *Pag.*

DAGOBERTUS una cum parentibus necatus. *Pag. 150.*

FILIA Rothomagi sepulta. *Pag. 150.*

CHILDERICUS III Mo[illegible] Depositus mense Majo 75[illegible] trusus Obiit 754. *Pag. 15[illegible]*

THEODORICUS in Fontane[illegible] jussus.



Anno III regni Chlodovei Regis, h. e. anno 640, *Æga in Clippiaco villa vexatus a febre moritur* --- *Enbinoddus Majordomus, qui consangvineus fuerat de genere Dagoberti Major domus Palatii Chlodovei efficitur.*

CONTINUATIO FREDEGARII jussu CHILDEBRANDI scripta cap. 91: *Chlodoveus itaque in regno pacem habuit absque bello. In extremis vero vitæ annis amens effectus vita caruit, regnavitque annos XVIII.* Habet quidem

ERCANBERTUS apud DUCHESNIUM T. I. pag. 780: *Chlodoveus Rex filius Dagoberti regnavit XVI annis, qui omni spurcitiæ deditus fuit.* Totidemque annos tribuit GENEALOGIA pag. 794: Et autor GESTORUM FRANCORUM cap. 44, BIOGRAPHUSque S. BABOLENI Abbatis in temporariis notis non ita curatus apud DUCHESNIUM T. I. pag. 664: At octodecim regiminis completos annos tuentur Chronicon MOISSIACENSE, VITA S. WANDREGISILI, Chronicon DIVIONENSE, S. Benigni BESUENSE apud Dacherium cum aliis a MABILLONIO in dissertatione de anno mortis Dagoberti I & Chlodovei junioris T. III. Analectorum citatis. Defunctus ergo post 19 Februarii, quo die anni 638 regnum capessiverat, anni 656. Elicuit porro MABILLONIUS, firmavitque annum 656 obitualem Clodovei ex INSCRIPTIONE vetustissima in Codice Fossatensi Vitæ Joannis Abbatis Reomaensis præfixa, quæ Supplem. Rei Dipl. cap. 7. pag. 38. extat: *Anno centesimo post explicionem numeri sancti Victori Episcopi Ciclum recapitulantem, anno tertio Domini Clotarii Regis indolis, ex jusso ipsius Principes vel genitricæ suæ præce sæ dominæ Bathildæ Reginæ, cum ad urbem Cabalonnensem noni mensis secunda ebdomada Jonas Abbas per Riomas S. Johannis monasterio præteriens, paucis diebus inibi pro labore itineris quievit* --- Priora verba desunt in editione Vitæ Johannis per Jonam scripta apud Collectores Antwerpienses 28 Januarii pag. 856 in prologo. Supputavit, qui jussu Childebrandi Fredegarii Chronicon continuavit annos a primordio mundi calculumque claudit, *& a passione Domini usque in annum præsentem in cyclo Victorii anni CLXXVII Kalend. Jan. die Dominica anni 735.* Subductis 177 a 735 remanet 559 ultimus Cycli prioris annus. Solide hinc PAGIUS & MABILLONIUS demonstrarunt, Cyclum Victoris 532 annos complexum a Kalendis Januarii 28 Æræ Dionysianæ profectum anno 559 31 Dec. defluxisse, quibus si junguntur 100 anni secundi cycli, labebatur centesimus annus, anno 659. Iste vero cum anno III Clotharii cucurrit. Ergo Primus ejus incœpit 656 ante nonum mensem sive Novembrem. Patet hinc, Clodoveum II ante Novembrem mensem 656 obiisse & quidem post 22 diem

Julii ejusdem anni, quod ſequenti argumentatione eruderat ECCARDUS Würtzburg. pag. 237 præeunte PAGIO. In VITA S. WANDREGISILI autore coævo ſcripta apud MABILLONIUM Sec. II Benedict. legitur: *His diebus, anno VII tertii Regis Lotharii, qui erat regiminis prædicti patris* Wandregiſili *annus decimus quintus, isdem vir Domini ad eundem Regem acceſſit, & privilegium regiæ confirmationis ſuper area præfati Cœnobii liberaliſſima datione ſuſcepit.* Annus XV Wandregiſili cum VII Clotharii currens probante PAGIO inchoatus eſt Kalendis Martii anni 662. Ultimus itaque Chlodovei & primus Clotharii in annum 656 incidit. Wandregiſilus juxta calculum BIOGRAPHI laudati, PAGII, MABILLONII anno 667 die *XXII Julii undecimo Clotharii III Regis anno* terrena reliquit. Hinc duodecimum Clotharius poſt XXII Julii 667 auſpicatus fuit, adeoque Chlodoveus poſt eundem diem 656 primo anno Clotharii locum fecit,

BATHILDIS ſancta, Uxor Chlodovei II.

CONTINUATIO FREDEGARII cap. 91: *Chlodoveus filius Dageberti ex genere alienigenarum Reginam accipiens nomine BALDECHILDEM prudentem atque elegantem, genuit ex ea filios tres, Chlotharium, Childericum & Theodericum.* Eadem GESTA FRANCORUM cap. 43. 44.

Geminam eruerunt COLLECTORES Actorum Sanctorum VITAM S. BATHILDIS, utramque a coætaneis conſcriptam, priorem ANTWERPIENSES, alteram SURIUS atque ex eo ANTWERPIENSES ad diem XXVI Januarii edidere. Ex priore huc facientia excerpimus. Cap. I: *Benedictus Dominus qui --- de STERCORE elevat pauperem, & cum conſedere facit cum Principibus populi ſui: ſicut & præſentem venerabilem magnique meriti feminam Domnam BALTIDEM Reginam. Quam de PARTIBUS TRANSMARINIS divina providentia advocans, & vili prætio venundata huc advenit ipſa pretioſa & optima Dei margarita; receptaque eſt a Principe Francorum, viroque illuſtri Archinoaldo quondam, in cujus miniſterio ipſa adoleſcens honeſtiſſime converſata eſt. --- Et cum eſſet ex genere Saxonum ---* (Corruit hinc ortus Germanicus vel regius aut Anhaltino Principum genere, quales ſomniarunt audacter, recenſiti a COLLECTORIBUS in Commentario prævio §. 2 pag. 733) --- *forma corporis grata ac ſubtiliſſima, & aſpectu decora, vultu hilaris & inceſſu gravis, & cum talis eſſet, fuit omnino grata Principi & invenit gratiam in oculis ejus. Quam in-*

ſtituit,

stituit, ut sibi in cubiculo pocula porrigeret, & ut pincerna honestissima sæpius præsens adstaret in ministerio ejus. --- Ex qua --- promeruit, ut matrona supradicti Principis Archinoaldi defuncta, ei complacuisset, ut denuo sibi Baltildem honestissimam Virginem in thoro matrimoniali sociaret. Quam rem ipsa comperta, latenter se & studiose ab ejus subtraxit aspectu. --- Sed & illud procul dubio divina peragebatur providentia, ut ipse Princeps ipsam tunc quæsitam minime inveniret, & sibi ad conjugium aliam sociaret. Et tunc ita demum Baltildis puella inventa est, nutu Dei vero, ut quæ Principis nuptias devitaverat, postea Chlodoveum Dagoberti quondam Regis filium in conjugium acciperet --- atque ex ipsa regalis soboles procederet. Quod nunc peractum est, sicut omnibus patet ipsa ejus nunc regali regnante progenie. En ætatem Autoris. Cap. II: *Quid plura? Deo jubente Rex Chlodoveus Vir ejus migravit e corpore, relictaque sobole filiorum cum matre, suscepit illico post eum filius ejus Clotharius quondam Francorum regnum. --- nuper & Austrasii pacifico ordine ordinante Domna Balthide per consilium quidem seniorum receperunt Childericum filium ejus Regem Austri. Burgundiones vero & Franci facti sunt uniti. Et credimus Deo gubernante juxta Domnæ Baltidis magnam fidem, ipsa tria regna tunc inter se tenebant pacis concordiam. --- Ipsa --- Kala in Parisiaco Deo sacratas puellas cœnobium magnum Virginum ædificavit. --- In quo & ipsa venerabilis Domna Baltidis debit conversari sub integra regula religionis & in pace requiescere consueverat.* (Prolixius de condito Pathenone Kalensi (Chelles) agunt VITA S. BERTHILÆ & S. BERTHÆ apud DUCHESNIUM T. I. pag. 665 & 669.) *Monasterium quod vocatur Corbegia in Ambianensi parochia suo opere construxit, ubi venerabilis vir Domnus Theudofredus nunc enim Episcopus, tunc vero Abbas,* en iterum Autoris ætatem, *magno gregi Fratrum præfuit.* Cap. III: *Erat enim ejus sancta devotio, ut in monasterio, quod prædiximus --- Kala --- conversari deberet. Nam & Franci pro ejus amore hoc maxime dilatabant, nec fieri permittebant,* ut includeretur monasterio, *nisi commotio illa fuisset per miserum Sigoberrandum Episcopum, cujus superbia inter Francos meruit mortis ruinam. Et exinde orta intentione,* lege *contentione, dum ipsum contra ejus voluntatem interfecerunt, metuentes ne hoc ipsa Domna contra eos graviter ferret, ac vindicare ipsam causam vellet, permiserunt eam subito pergere ad ipsum monasterium. Et fortasse dubium non est, quod ipsi Principes,* filii, *tunc illud non bono animo permisissent --- Deductaque ab aliquibus Senioribus, venit ad præfatum monasterium suum Kala ibique --- recepta est.* Consilio itaque Procerum ab Imperio remota aulaque ejecta in monasterium, ibi consenuit miraculis celebratissima. Nullas adjecit prior nec altera vita notas Chronicas, unde annos, quo nupta, quo ingredi debuit Cœnobium, & quo fata subiit ultima eruere liceat. Ex ætate mariti & annis filiorum collatis suboluit recte MABILLONIO, PAGIO, cæteris, ipsam anno 651 vel 652 thalamum conscendisse Regis Chlodovei, ætatis annum octavum decimum agen-

agentis. Vivente adhuc Clothario ipſoque adulto in Monaſterium receſſit, teſte VITA S. BERTILÆ pag. 669 : *Interea glorioſa Dei famula BALTECHILDIS Regina, quamlibet ad miniſterium gubernandumque rerum ſtatum principalitatis cura conſtringeretur, & velut ſub onere gravi deſudaret, mentem tamen ejus amor Chriſti & religionis devotio poſſidebat. Jamque Domino Chlothario filio ejus adulto cum conſenſu optimatum ſuorum, relicta cura regalis palatii, Chriſto Domino militatura in monaſterio, quod ipſa conſtruxerat, ſupraſcriptæ ſub obedientia domnæ Bertilæ ſe ſubdidit Abbatiſſæ.* Obiit Chlodoveus maritus anno 656 ſuſceptis tribus ex Balthilde filiis. Natus ideo Clotharius III 652 vel 653 decimo quarto ætatis anno devoluto adoleverat. Unde veroſimile fit, Bathildem circa 666 regimine remotam fuiſſe. Superſtes duobus filiis Clothario & Childeberto, tertius ipſi ſuperſtes. Vita WANDREGISILI apud DUCHESNIUM T. I, l. c. *Wandregiſilus Reginæ relictæ Bathildi Cludovæi Regis, obitus triarcharum filiorum ac ſucceſſiones inſinuavit. E quibus Lotharius, qui major erat natu quartum decimum regni agens annum, conſortiis ſubito caruit humanis. Deinde Hildebertus temere ab inſidiatoribus interemptus, a præſenti ſublatus eſt vita. Tertius quoque Theodoricus ſuperſtes matris, regni ſuſcepit gubernacula* Ergo 673. quo Theodoricus rerum potitus eſt, in vivis adhuc verſabatur Bathildis. Obſtinatum monumentorum ſilentium in diverſa rapuit eruditos annum mortis eruderare conatos. Sunt, qui anno 685 defunctam perhibent, alii in annum 680 retrahunt mortem, quibus PAGIUS ſubſcripſit, additis aſſertionem corroborantibus argumentis, quæ jam repetere non vacat. Nec minor diſceptatio de die mortis, quædam Martyrologia 26 Januarii, alia 27, Uſuardus 30 ejuſdem menſis adſcribunt. Ultimam PAGIUS tuetur, primam COLLECTORES Antwerpienſes in Commentario prævio ad Vitam S. Bathildis. Nil ſuppetit rationis, qua nodum iſtum diſſecemus. Sepulta jacuit in Cœnobio Kalenſi, donec die VI Kalendarum Aprilium feria IV regnante Ludovico ab Abbatiſſa Heigelwiche ſocru Ludovici Pii alium in locum tranſlata ſit ſacris ceremoniis in poſterum colenda. Tranſlatio iſta peracta eſt anno 839, quod curatius in Gvelphicis indagabimus, ubi de annis Hegilwigæ Abbatiſſæ inquiſitio inſtituenda. Ceterum, ne quod intactum relinquamus, monendum duximus, Radegundam ſanctam, quæ in Tranſlationis hiſtoria dicitur Bathildis filia, ejus tantum filiolam fuiſſe, indice Vita Balthildis, quo nomine medii ævi ſcriptores infantulas a ſacro fonte ſuſceptas indigitare ſolebant.

CLOTHARIUS III Rex Francorum, filius Clodovei II ex Bathilde.

CHARTA Cœnobii S. Bertini apud FOLQVINUM pag. 606: *Chlotacharius Rex Francorum vir inluster --- Et ut hæc præceptio firmior habeatur --- nos & præcelsa Domna & genitrix nostra Baltechildis Regina signaculo manus nostræ nuscimus adfirmasse. Actum sub die Kalend. Febr. anno VI (662) regni nostri, Crisciaco palatio.* Eadem habet CHARTA Cœnobii Tricassinensis, quam BIOGRAPHUS S. FRODOBERTI cap. 3 per Epitomen dedit.

AUDOENUS, qui anno 640. 13 Maji Rothomagensis Episcopus, teste ipso, pag. 632, inauguratus est, in Vita S. Eligii pag. 633: *Multa Eligius in colloquiis familiaribus prædixit, puta mortem Ariberti Regis, itemque Dagoberti inclyti Principis, nativitatemque Clotharii junioris. Qui cum adhuc matris utero gestaretur, & Regina valde sollicita timeret, se feminam parituram in regni detrimentum: Eligius venit ad eam, & jucundissime eam appellans, ait coram omnibus, masculam prolem edituram seque e baptismo eam suscepturum. Nomen etiam necdum nato tum imposuit, Clotharium eum vocans. Præter quem alios duos eadem Regina peperit, qui cum essent adhuc parvuli, & Rex atque Regina pacifice & amanter visitarent, talis Eligio est oblata visio.* Recitata visione ejusque interpretatione subjungit: *Nos vero dubitare non debemus ita fore, ut prædixit, cum jam nonnulla impleta videamus. Nam & Clodoveus Rex intra breve tempus in pace obiit, & Regina conjux cum tribus parvulis ad paucos annos regnans, filiis postea reliquit Principatum. Paucis interim labentibus annis, major nata dum pacifice regnat, excedit e vivis, duobus relictis fratribus, de quibus quid futurum sit, solus Deus novit.*

GESTA FRANCORUM, cap. 44: *Decedente itaque in extremis præfato Rege Chlodoveo, qui regnavit annos XVI Franci Chlotharium seniorem puerum ex tribus sibi Regem statuerunt, cum ipsa Regina matre regnaturum.* Cap. 45: --- *Clotharius Rex puer obiit, regnavitque annos quatuor. Theudericus autem frater ejus Rex elevatus est Francorum. Childericus itaque alius frater ejus in Austria una cum Vulfaldo Duce Regnum suscipere perrexit.* CONTINUATIO FREDEGARII cap. 93, ERCHANBERTUS & sequaces totidem annos tribuunt seducti a priore. Præfuit toti Monarchiæ Clotharius quatuor annos, quarto currente Austrasia cessit fratri Childerico. Cessionem hanc mortemque Chlotharii in unum conjecerunt, qui anno IV regiminis obiisse referunt. Ultra enim

decennium posthæc Burgundiæ & Neustriæ imperitasse ex documentis apparet. Adduximus in Clodoveo secundo loca scriptorum annum VII & XI Clotharii memorantia. Ultra undecimum annum progreditur URSINUS Vita S. Leodegarii apud DUCHESNIUM T. I pag. 618, cap. 3: *Per idem tempus minor Clotarius Rex cum Baldechilde sua matre regni Francorum habenas moderabatur. Qui cum ejus* Leodegarii *prudentiam auditione percepissent,* effecerunt, ut *Episcopi functione dignus proclamaretur. Itaque ab omnibus electus, Augustoduni, quæ est Heduorum civitas, Episcopum curarunt ordinandum. Quo munere* DECEM ANNIS *strenue functus cum esset, Clotarius Rex, qui eum promoverat, excessit e vivis.* ECCARDUS ex MELCHIORIS REGINALDI probationibus Historiæ Svessionicæ subscriptionem diplomatis Drausii Svessionis Episcopi in favorem confecti Parthenonis extra Muros Svessionum ab Ebroino Majore domus & Leutrude conjuge ejus extructi excerpsit, quæ sic habet: --- *Datum --- Augustæ Svessionum sexto Kalendas Julii, anno decimo quarto regni Clotharii gloriosissimi Regis.* Notæ congruunt anno 670, ipsi, quo vivere desiit. VITA Sancti Abbatis Fontanellensis WANDREGISILI autore suppari apud DUCHESNIUM T. I. & SURIUM T. IV. ad 22 Julii cap. 14, pag. 273: *Postquam excessit e vita Chlodoveus Rex, remansit Balthildis Regina cum tribus filiis Clothario, Childerico & Theoderico. Ex quibus Clotharius, qui major natu erat, fastigium adeptus est regni, rexitque populum Occidentalium Francorum annis XIIII.* Et cap. 18: *Porro anno XV regiminis sui,* Wandregisili, qui juxta probatum Pagii Calculum a Kalendis Martii 662 labebatur *vir Dei Clotharium III Regem accessit & privilegium regiæ confirmationis super area dicti Cœnobii,* Fontanellensis, *liberalissima datione excepit.* Curatius hunc locum ex editione Mabillonii in Clodoveo secundo dedimus. Denique cap. 21: *Blitildi Reginæ, relictæ Clodovei Regis, obitus trium filiorum ac successiones exposuit* Wandregisilus. *E quibus Clotharius, qui major erat natu, quartum decimum regni agens annum consortiis subito caruit humanis.* Editio MABILLONII autore coævo hæc totidem verbis enarrat. Quæ loca si invicem componuntur luculenter demonstrant, Clotharium post Julium mensem anni 670 e numero viventium migrasse. Addit ECCARDUS pag. 249 *post III Kalend Octobris,* quod ex BEDÆ VENERABILIS Vita S. Benedicti Episcopi & WILHELMI THORNI Chronico cap. III §. 2 collegit. Tumulatus in Calensi Monasterio a matre exstructo, ubi hodiedum ejus monumentum cernitur teste VALESIO ceterisque. Evulgavit MABILLONIUS pag. 379 de re diplomatica CHARTAM Crothildis matronæ, cujus subscriptio crucem veritati huic figeret: Data enim est: *Morlacas vico publico, quod fecit mensis Marcius dies decimus anno XVI Regni Domini nostri Clotachariæ Regis gloriosissimi.* At recte

monet

monet ECCARDUS pag. 148 a Notario transpositos numeros fuisse, neque derogare fidei Autorum annos tantum XIV Clothario assignantium.

De uxore Clotharii tertii nihil in fastos relatum legimus, quamvis nobis vix persvadeamus ἀγαμον mansisse, ætatis annum decimum nonum superantem, quippe plerosque Meroveadarum vix ex ephebis egressos offendimus uxoratos. Gignendis filiis idoneum fuisse documento est

CLODOVEUS
filius ipsi affictus.

cujus S. LEODEGARII VITA apud DUCHESNIUM T. I cap. 8 meminit: Occiso Childerico *Ebroinus tyrannus --- Clericatum abjiciens --- contra terrenum dominum etiam apertum se prodidit adversarium. Novigento enim villa jam recuperato regno tunc Theodericus residebat securus cum repetino adventu Ebroinus cum Austrasiis affuit. --- Denique acceperunt quendam parvulum, quem Clotharii fuisse confinxerunt filium, hunc in partibus Austri secum levant in regnum. --- Qvanti autem per hoc calliditatis figmentum Theodericum tunc defunctum & Clodoveum Clotharii esse filium crediderunt.* Leodegarium arbitrum Theoderici præ aliis prosequitur Ebroinus, obsidetque in urbe Augustoduno, *comminans non se ab impugnatione civitatis discessurum --- nisi Clodoveo, quem falso Regem fecerant, promitteret fidem. Hæc enim erat simulata occasio, quia omnes cum sacramento Theodericum asserebant esse defunctum.* Cap. 12: *Igitur cum, sicut supra dictum est, facinus suum diutius Ebroinus occultare non posset, de Rege, quem falso fecerat, declinat ingenium, & ut in Theoderici rediret Palatium, quorumdam factione suscipitur, & iterum subito Palatii Major domus efficitur.*

CHILDERICUS Rex, filius Chlodovei II, & BILICHILDIS Conjux I.

Chlodoveo & Bathildi satum documenta in fratre recitata evincunt. Austrasiæ regnum nactus anno 660 est, sub tutela Imnichildis viduæ Sigeberti III, quod alibi tutum reddidimus. Confirmat VITA S. REMACLI apud SURIUM T. V, cap. 21: *Chlodoveo quoque defuncto Clotharius filius ejus in Occidente, frater Clotharii Childericus in Austrasia regnarunt.* --- Post decennium fratri in Neustria successit omnium Francorum Monarcha factus

ctus anno 670. Vita Remach l. c. *Obiit vero etiam Clotharius Rex, & ad Childericum Monarchia devoluta est.*

ANONYMUS VITA S. LEODEGARII apud DUCHESNIUM T. I, pag. 602, cap. 3: *Rex Clotharius a Domino vocatus de hac luce migravit. Sed cum Ebroinus ejus fratrem germanum nomine Theodericum convocatis Optimatibus solemniter, ut mos est, debuisset sublimare in regnum, superbiæ spiritu tumidus eos noluit deinde convocare. Ideo magis cœperunt metuere* --- & *relicto eo* Theodorico *omnes expetunt Childericum juniorem ejus fratrem, qui in Austrasia acceperat regnum. Quod consilium qui tunc noluit sequi, aut fugaciter evasit, aut cum periculo, incendio comminato, adquievit invitus. Cum enim omnes ob Ebroini tyrannidem metu Childericum induxissent tam in Neustria quam in Burgundiæ regno, agnoscens tyrannus suo hoc facinore perpetratum, ad Ecclesiæ confugit altare* --- *interventu Antistitis Leodegarii eum non interficiunt, sed Luxovio Monasterio dirigitur in exilium* --- *Cum Childericus germanum, supra quem petitus venerat, sibimet præsentari jussisset, ut colloqui ei deberet: tunc quidam qui in regno videbantur esse primarii, & Childerico cupiebant avide placere, crinem sui domini temeritatis ausu jusserunt amputari, sicque fratri suo eum studuerunt præsentare. Sed cum ab eo interrogaretur, quid de se agere vellet, ille vero hoc solum, eo quod injuste fuerit de loco regni dejectus, judicium se a Deo celer expectare est professus. Tunc ad Monasterium sancti Martyris Dionysii residere est jussus ibique expectare, donec crinem, quem amputaverant, enutriret & Deus cœli, quem se judicem habiturum est professus, feliciter postmodum ipsum permisit regnare. Interea Childericum Regem expetunt universi, ut alia daret decreta per tria quæ obtinuerat regna: ut uniusquisque patriæ legem vel consvetudinem deberent sicut antiquitus judices conservare, & ne de una Provincia Rectores in aliam introissent, neque unus ad instar Ebroini tyrannidem assumeret* --- *ille libenter petita concessit* --- *sanctum Leodegarium* --- *secum assidue retinebat in Palatium*, sed subito in pejus ruens Leodegarium interficiendum statuit, quem tamen metu Dei in Laxovium monasterium abire permisit, ut prolixius narratur cap. 4. 5. & 6. Cap 7: *His interim ita gestis, divina non distulit ultio suum de Childerico dare judicium. Nam ejus dissoluta conversatio omnibus nimium erat Optimatibus Palatinis. Tunc unus ex iis hoc molestius ferens præ ceteris, dum venationem in sylva secutus exerceret, eum vulnere mortis percussit.* --- *Cum Childerici mors subito nunciata fuisset tunc hi, qui ob ejus jussionem exilio fuerant condemnati* --- *fuerunt reversi. Quorum debacchante furore surrexit magna perturbatio patriæ, ita, ut manifeste crederetur, adventum imminere Antichristi. Hi vero qui Rectores regionum esse debuerant, surrexerunt contra alios, & qui pacis fœdera debuerant continere, odiis se invicem cœperunt lacessere. Et cum Rex* Theodoricus *tunc non esset stabilitus in culmine, quod unicuique rectum videbatur in propria volun-*

voluntate, hoc agebat sine formidine disciplinæ. Adeo enim tunc iram Dei manifeste cognovimus evenisse, ut etiam stella appareret in cœlo, quam Astrologi vocant Cometem, in cujus ortu asserunt fame terram turbari, mutatione Regum vel commotione gentium percussionis gladium imminere. Hæc omnia enim manifeste ex tunc constitit evenisse. Claret hinc, Childericum insidiis peremtum anno quo Cometes apparuit. THEOPHANES ad annum Alexandrinum 664 qui a Kalend. Sept. anni 672 decurrebat, adnotavit: *Hoc anno Iris in cœlo conspecta carni omni tremorem incussit mense Martio Dystro: adeo, ut omnes rerum universarum consummationem advenisse prædicarent.* SIGIBERTUS GEMBLACENSIS ad annum 673: *Iris apparuit in cœlo mense Martio, & tremuit omnis caro, ita ut omnes dicerent, quod consummatio esset.* Irridem sive Cometam subsecuta mors Childerici, ideoque anno 673 occisus est. Suffragantur huic supputationi LATERCULUS TILIANUS apud DUCHESNE T. I, pag. 781: *Childericus regnavit annis XIV.* Adnumeratis decem, quos in Austria solos peregit, inde ab 660 ad 673 XIV anni incompleti defluxerunt. FRAGMENTUM ACTORUM S. WANINGI monachi ex seculo II Benedictino apud ECCARDUM, pag. 252: *Childericus non plene quatuor annos tenens regnum vita decessit.* URSINUS Vita S. Leodegarii apud DUCHESNIUM T. I pag. 618, cap. 5: *Usque adeo vero totum Francorum Regnum usque quaque restituit Leodegarius, ut omnes se gratularentur Regem habere Childericum ac Rectorem Palatii Leodegarium. Cum hæc annis fere tribus cum multo decore agerentur,* Leodegarius odium incurrit Childerici, qui, eo in monasterium truso, non ita longe post obiit, ut ANONYMI VITA testatur. Major domus constitutus erat Leodegarius sub initium Monarchici regiminis anno 670, nec tribus completis annis eo functus. Deturbatus itaque anno 672. Rediitque Augustodunum jugulato Childerico anno 673 mense Martio. Certe nec Octobrem vivendo attigit Childericus. Ex AIGRADI vita S. Condedi in Seculo II Benedictino affert locum ECCARDUS pag. 255, quo dicitur Condedus Fontanellensi Cœnobio quædam donasse *sub anno tertio præfati Regis Theoderici, qui erat Lantberti Abbatis annus nonus --- Acta fuerat hæc largitio die decima mensis Octobris, quod est VI Idus Octobris.* Inflexis aliquantulum verbis eundem locum recitat HENSCHENIUS in Sigiberto cap. 97. Supra vidimus Lantbertum Fontanellensem Abbatem constitutum 26 Julii 667. Nonus hinc annus a 26 Julii 675 decurrebat, cujus die X Octobris annus Theoderici III jam inchoatus fuit, primusque adeo X Octobris 673 jam delabebatur. Ceterum clarius patescet infra in Chlodoveo III in mensem Martium referendum obitum Childerici.

BILICHILDIS
Uxor Childerici cum Dagoberto filio & filia,

ANONYMUS VITA S. LEODEGARII cap. IV : *Et quia sacerdotalis integritas minas Regis nescit metuere, Childericum cœpit arguere, cur consvetudines patrias, quas converti in melius præceperat, tam subito immutasset. Simul fertur dixisse, quod Regina, quam habebat* CONJUGEM, FILIA SUI ESSET AVUNCULI. Avunculum sive patruum, indiscriminatim enim usurpant voces medii ævi scriptores, alium non habuit præter Sigibertum Austrasiæ regem. Certe matris frater intelligi nequit Reginæ pater, quoniam Bathildis tenuioris fortunæ mulier ex Britannia oriunda erat. Ex Sigeberto itaque nata in matrimonium collocata vel certe desponsa anno 660, quo Austrasiæ regnum sub tutela Imnichildis Sigeberti viduæ socrus suæ auspicatus est Childericus. Nomen produnt CHARTA ex Archivo Stabulensi apud HENSCHENIUM de tribus Dagobertis pag. 73, de Sigeberto pag. 235, & MARTENIUM Collect. Ampl. T. II. pag. 10: *Childericus Rex Francorum Emnichildis*, socrus & tutrix, *&* BILICHILDIS *Dei gratia Regina*, Uxor, *viris illustribus Gundoino Duce & Hodone domestico. —— Signum gloriosi Domni Childerici Regis. Signum Emnichildis Reginæ. Signum Bilichildis gratia Dei Reginæ. Data quando fecit mense Septembri dies VI anno VIII Regni domni Childerici Regis. Trajecto feliciter.* (067)

VITA S. PRÆJECTI altera Autore coætaneo 25 Januarii cap. 8 pag. 635 : *Cumque* Præjectus *ad Palatium, gratifice a Rege susceptus —— quicquid a Principe petiit, ut voluerat, impetravit, atque valedicens Childerico Regi, & Reginæ ipsius dignæ Dei famulæ Bilichildæ vel proceribus regni, Arvernicam repedavit ad urbem.*

GESTA FRANCORUM cap. 45 : —— *Clotharius Rex puer obit —— Franci —— in Auster propter Childericum legationem mittentes accommodant, & una cum Wolfoaldo Duce veniens in Regno Francorum elevatus est. Nam & ipse Childericus levis nimis omnia incaute peragebat, donec inter eos odium maximum & scandalum crevit, Francos valde opprimens. E quibus unum Francum nomine Bodolenum ad stipitem tensum cædi valde sine lege præcepit. Hæc videntes Franci, in ira magna commoti, Ingobertus videlicet & Amalbertus, & reliqui majores natu Francorum, seditionem contra ipsum Childericum concitantes Bodolenus super eum cum reliquis surrexit insidiatoribus,*

tibus, Regem interfecit, una cum REGINA ejus PRÆGNANTE quod dici dolor est. Wulfoaldus quoque per fugam vix evasit, in Auster reversus. CONTINUATIO FREDEGARII jussu Childebrandi scripta cap. 96: --- *Memoratus Bodilo super eum cum reliquis quamplurimis surrexit insidiatoris, & Regem in Lucbonia sylva,* Calense Monasterium adjacente, *una cum REGINA PRÆGNANTE, nomine BILICHILDE, quod dici dolor est, interfecit.*

FRIDEGODUS Vita S. Audoeni Rothomagensis apud SURIUM cap. 32: *In qua* Basilica S. Petri Rothomagi sepulti jacent *Childericus Rex frater Theodorici, cum uxore BILHILDE & FILIA, quos ipse vir sanctus jam olim illic sepelierat, qui satellitum suorum Amalberti & Vigoberti insidiis vita atque Regno privati fuere.* Ut in loco sepulturæ erravit Fridegodus, ita & filia in filium mutanda, certe addendus filius.

FRAGMENTUM VITÆ LANTBERTI Abbatis Fontanellensis apud MABILLONIUM T. II Benedictino pag. 864, coævo fere autore, diserte: *Dagobertum,* ait, *filium Childerici una cum parentibus in cunis jugulatum* referente ipso MABILLONIO in suppl. rei diplom, cap. 9. Monumentum parentum filiique anno 1646 in suburbana Parisiorum Basilica S. Crucis & S. Vincentii hodie S. Germain des Prè præsente LUCA DACHERIO detectum fuit, atque ab HADRIANO VALESIO verbis DACHERII delineatum.

CHILPERICUS DANIEL Rex Francorum, filius Childerici.

DIPLOMA apud MABILLONIUM de re diplom. pag. 485: *Chilpericus Rex Francorum viris inlustrebus omnis tilenariis Massilienfis. Dum & ante hos annus DAGOBERCTHUS quondam rex, solidus cento exemtis de Massilia civetate --- ad basileca --- Domni Dionisii --- concessisset, seu & Domnus vel GENETUR NOSTER CHILDERICUS, etiam & HABUNCULI nostri CHLODACHARIUS & THEODORICUS quondam regis, etiam & nos postia per nostra preceptione hoc ibidem denuo visi fuemus concessisse vel confirmasse --- Datum quod ficit minsis Martius dies --- anno primo rigni nostri, Compendio in Dei nomine feliciter. (716)*

CHARTA Chilperici apud LABBEUM Misc. Curiosis cap. 5. §. 2, & HENSCHENIUM de Tribus Dagobert. pag. 168: --- *Religiosus & venerabilis*

bilis Abbas de Monasterio, cognominante Corbeja, quæ ponitur in pago Ambianense, quem AVUNCULUS *noster* CHLODECHARIUS *quondam Rex vel Domnus &* AVA NOSTRA BALDECHILDIS *quondam Regina, - - visæ fuerunt construxisse, ---. Clementia regni nostri suggessit, eo quod præfatus avunculus noster Chlottarius quondam Rex, seu etiam dicta ava nostra Domna Baldechildis Regina, --- de teloneo --- concesserunt --- Data sub die tertio Kalend. Maji, anno primo regni nostri Compendio in Dei nomine feliciter.*

DIPLOMA apud MABILLON. pag. 486: *Chilpericus Rex Francorum Vir inluster --- Venerabilis Vir Chillardus Abba de Baselica --- Domni Dionisii martyris --- climenciæ regni nostri soggessit, eo quod bonæ memoriæ* PROAVUS *noster* DAGOBERCTHUS *quondam Rex --- vaccas cento soldaris --- ad ipsa sancta basilica annis singolis concessisset. Unde & cessionem ipsius principæ seu & confirmationis* AVO NOSTRO CHLODOVIO *& bonæ memoriæ* GENETORE NOSTRO CHILDERICO, *& avunculo nostro Theoderico, seo & consobrinus nostrus Chlodovio, Childeberctho, & Dagobercho quondam regebus, eorum manebus roboratas, se ex hoc pro manebus habire affirmat --- Sed pro firmitatis estodium petiit celsitudini nostri, ut hoc --- nostra pleniu diberit auctoretas perpetualiter confirmare. Cujus peticioni --- Datum quod ficit mensis Marcius dies sexdecim anno primo rigni nostri, Compendio in Dei nomine feliciter.* (716) ALIUD eidem Chillardo concessum *sub pridie Kalendas Marcias anno primo regni nostri* (716) vide pag. 484.

PRIVILEGIUM BERTINIANUM emendatiori phrasi apud FOLQUINUM pag. 608: *Chilpericus Rex Francorum --- Erchemboldus Abba de monasterio Sithiu --- clementiæ regni nostri suggessit, quod* AVUS NOSTER CLODOVÆUS *quondam Rex --- antecessori suo --- concessisset --- Unde & præceptiones ipsius Principis* AVI NOSTI CHLODOVEI *& confirmationes præcelsorum* AVUNCULORUM *nostrorum* CHLODACHARII *&* THEODORICI, *seu &* GENITORIS NOSTRI CHILDERICI, *etiam & consobrinorum nostrorum Chlodovei & Childeberti quondam Regum se ex hoc præ manibus habere affirmat --- sed pro integra firmitate petiit celsitudinem nostram memoratus Abbas ut hoc --- Datum anno regni nostri III.* (717) vel 718)

GESTA FRANCORUM cap. 52: *Franci post hæc,* mortuo Dagoberto III DANIELEM *Clericum, cæsarie capitis crescente in regno stabiliunt eumque* CHILPERICUM *nuncupant.*

CONTINUATIO FREDEGARII jussi Childebrandi scripta cap. 105. *Eo tempore,* post mortem Pippini Heristallii, *elegerunt in honorem Majoris domus quendam*

quendam Francum nomine Raganfridum. Cap. 106 : *Dagobertus Rex obiit. Franci vero Danielem quondam Clericum, cæsarie capitis crescente in Regnum stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant. Iterato quidem tempore commoto exercitu contra memoratum Carolum* Martellum *dirigunt. --- Carolus --- terga vertit. Chilpericus posthæc & Raganfridus adunata hostili plebe Arduennam sylvam transeunt --- Coloniam --- pervenerunt, regiones illas pariter vastantes --- reversi sunt. Sed in via, in loco qui dicitur Amblava, ab exercitu Caroli grande perpessi sunt damnum. Succedenti tempore Carolus commoto exercitu contra Chilpericum & Raganfridum direxit. Bellum iniere die Dominica in Quadragesima XII Kalend. Aprilis in loco nuncupato Vinciaco in pago Cameracensi nimia cæde invicem collisi. Chilpericus & Raganfridus devicti, in fugam lapsi, terga vertentes evaserunt. Quos Carolus persecutus Parisius civitatem properavit.* Pugna pugnata anno 717. NAZARIANI ad annum dictum : *Pugnavit Carolus contra Ragenfredum in Vinciaco in Dominica die.* Suffragantur PETAVIANI pag. 7, TILIANI, & prolixius METENSES pag. 269. Pergit CONTINUATOR cap. 108 : *Deinde Coloniam urbem reversus, ipsam civitatem cepit reseratam --- Regem sibi constituit nomine Chlotharium. Chilpericus itaque & Raganfredus Legationem ad Eudonem Ducem,* Aquitaniæ, *dirigunt ejus auxilium postulantes rogant, Regnum* (coronam) *& munera tradunt --- adversus Carolum perrexerunt. --- Eudo territus, quod resistere non valeret, aufugit. Carolus insecutus eum usque Parisius --- Chilpericum Regem secum cum thesauris sublatis avexit. Chlotharius itaque Rex eo anno obiit. Anno insecuto, Carolus per missos suos amicitias cum Eudone Duce faciens, ab eo prædictum Chilpericum Regem cum multis muneribus recepit.* (anno 718 testibus METENSIBUS, qui præterea adjungunt : *Suscepto autem rege. Karolus misericorditer erga ipsum egit, sedemque illi regalem sub sua ditione concessit.* Curatius annum 719 referunt NAZARIANI.) *Veniensque urbem Noviomo, post non multum tempus cursum viæ & regnum amisit, & mortuus est, regnavitque annos sex.* GESTA FRANCORUM cap. 53 distinctius : *Mortuus qidem est post hæc, & Noviomo civitate sepultus : regnavitque anno V & dimidio.*

CHRONICON BREVISSIMUM & LATERCULUS TILIANUS incompletum omiserunt annum : *Hilpericus*, habent, *regnavit annos V.* Declaratus Chilpericus Rex a Ragenfredo Majore domus & Francis post Junium mensem 715. Cum itaque regnavit annis quinque & dimidio, depositus est a Carolo, Attiniacumque relegatus 720 priori trimestri, in quo palatio Monachali nomine Danielis latuit privatus ad annum usque 727 quo decessit, ANNALIBUS PETAVIANIS pag. 7 ad annum 727 his verbis : *Danihel in Attiniaco mortuus est*, testantibus. De uxore ejus nihil innouit. Filius ejus

CHILDERICUS
Rex Francorum

agmen clausit Meroveadarum : RUINARTUS, alii, Theodorici IV perhibent filium, sed opinionem ipse Rex convellit in diplomate apud MABILLONIUM de re diplom. ex FOLQVINO pag. 610 : *Hilpericus Rex Francorum viris inlustribus --- cognoscat magnitudo seu & utilitas vestra, quod --- Waimarus Abbas de Monasterio Sithiu* Sancti Bertini *--- detulit in notitiam, quod* PARENS NOSTER THEODORICUS *quondam* REX (parens eo ævo denotabat non patrem sed agnatum vel consangvineum, peperitque Gallis vocem *le parent*) *--- tale beneficium concessisset --- Datum quando fecit Aprilis dies 23 anno primo regni nostri Crisiaco palatio in Dei nomine feliciter.* Notæ Chronicæ quadrant in annum 742, quod luculentius in Theodorico demonstrabimus, & ex porro dicendis apparebit.

Patrem indicat haut obscure CHARTA apud MABILLONIUM Analectis Editionis Paris. 1723 pag. 286 : *Childericus Rex Francorum Vir illuster. Si facta parentum nostrorum conservamus, nostra perenniter stabilia esse confidimus. Adeoque Apostolicus Vir pater in Christo noster Gauziclenus Cenomannica Urbis Episcopus nobis suggessit, eo quod de monasteriolo suæ sedis ecclesiæ, quod vocatur Anisolæ, in quo Domnus Karilefsus corporaliter jacet,* SOBRINUS NOSTER DAGOBERTUS, *quondam Rex & antecessores sui Reges scilicet Francorum ejus prædecessoribus --- præcepta fecissent --- Præcipientes enim, ut sicut constat, ipse* SOBRINUS NOSTER DAGOBERTUS *quondam Rex vel alii parentes nostri Antecessores Reges integra emunitate de ipso monasteriolo ad ecclesiam fecerunt, --- nisi inspectas ipsas præceptiones antiquorum Principum parentum nostrorum ac* CONSOBRINI NOSTRI DAGOBERTI *quondam Rege.* --- Dagobertus III Junior Rex Sobrinus cluit Childerici. Hanc vocem cum curatissime interpretatus eris, Chlodoveo III Clothario natum oportuit Childericum. At tunc Theodoricum IV non *Parentem* sed *nepotem* dixisset. Nec Chlodoveus III per ætatem par fuisse videtur gignendo filio. Religioni vero sibi ducebant Majores domus, alium nisi Rege genitum creare Regem. Chilpericus itaque unicus superest, cujus filius *Dagobertum Sobrinum* compellare potuit.

Ex quo Theodoricus IV anno 737 e vita migraverat, Carolus Martellus imperium ad se rapuit integrum non opus esse arbitratus alio Rege.

Filii

Filii ſuccedentes Carolomannus atque Pippinus Brevis vel proprio niſu vel flagitante populo novum excitarunt Regem Childericum. Qvo anno dubium. Eruendus ex Epocha Regum Carolingicorum & Chartis. Extat apud GOLDASTUM CHARTA Sangalenſis T. II rerum Allemannicarum pag. 44 numero 58 in qua legitur: --- *Ego in Dei nomine Hiringus Lector rogitus a Bistane anno III regnante Hiltribbo Rege ſub Carolomanno Majore domo & Bebone Comite ſcripſi & ſubſcripſi. Notavi ſub die quod fecit Novem. dies 9.* Carolomannus media æſtate anni 747 depoſuit Majoratum domus, Clericus futurus. November menſis itaque tertii anni Childerici cucurriſſet cum anno Incarnationis 747 idemque menſis primi anni in annum 744 incidiſſet, quodſi evinci poſſet, chartam ultimo Carolomanni Majoratum domus agentis anno datam eſſe. Nonum annum regnando attigit teſte CHARTA Pipini Sandionyſiana apud MABILLONIUM re diplom. l. 6. cap. 39, quæ ſic finit: *Datum quod fecit menſis Junius dies viginti, annum nono Childerico Rege.* Conſentiunt CHRONICON BREVISSIMUM & LATERCULUS TILIANUS pag. 781: *Hildericus Rex regnavit annos IX.* Qvin explevit novem annos aliquotque menſes decimi regnando tranſegit. CHARTA SANGALLENSIS 40 apud GOLDASTUM pag. 38: *Data VII Idus Septemb. anno X rigni Domni noſtri Ildrici Riis.* Et ſequens: *Facta hæc carta eſt in loco qui dicitur Anninchova XVII Kalendas Febr. ſub regno Domni noſtri Elperici Regis*, annus deeſt, ſed quod ſequitur præcedentem chartam, decimum addendum ſuſpicamur annum. Jam vero conſtat inter omnes, quotquot res Francicas litteris conſignarunt, Pippinum Majo menſe 752 inunctum eſſe Regem Francorum. *XVII Kalend. Febr.* pertinet ergo ad annum 752, VII Idus Septembr. ad annum 751, luceque meridiana clarius patet Childericum anno 742 impoſitum fuiſſe Francis Regem. Atque hunc annum primum Childerici egregie confirmant ACTA CONCILII SVESSIONENSIS: ad quæ ita præfatur Pipinus: *In nomine Dei & Trinitatis. Anno DCC XLIV ab Incarnatione Chriſti ſub die VI Nonas Martii & Luna XIV in anno ſecundo Childerici Regis Francorum, ego Pippinus Dux & Princeps Francorum* --- Qvodſi 2 Martii 744 die ſecundus cucurrit Childerici annus, eodem Martii die 743 jam volvebatur primus Childerici annus ex anno 742 tractus nec fieri potuit, ut in Campo Martio 742, quæ conjectura ECCARDI eſt, Rex declaratus ſit. Sic enim *VI Nonas Martii 744* numerari debuiſſet tertius Childerici annus, niſi ipſis Kalend. Martii 743 inauguratum velis, quod demonſtratis refragatur.

ANNALES FULDENSES 751: *Pipinus miſſa Romam legatione. Zacha-*

riam Papam interrogat de Regibus Francorum ex antiqua Merovingorum ſtirpe deſcendentium, qui Reges quidem dicebantur, ſed poteſtas regni tota apud Majorem domus habebatur excepto, quod Cartæ & Privilegia Regis nomine ſcribebantur, & in Martis campum qui Rex dicebatur plauſtro bobus trahentibus vectus, atque in loco eminenti ſedens ſemel in anno populis viſus, publica dona ſolemniter ſibi oblata accipiebat, ſtante coram Majore domus & quæ deinceps eo anno agenda eſſent populis adnunciante. Sicque Rege domum redeunte, cetera regni negotia Major domus adminiſtrabat. Orat ergo ſibi decerni, quis eorum juſte Rex debeat dici, & eſſe, is qui ſecurus domi ſedeat, an ille, qui curam totius Regni & omnium negotiorum moleſtias ſufferat. Anno 752 *Zacharias Papa ex auctoritate S. Petri Apoſtoli mandat populo, ut Pipinus, qui poteſtate regia utebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Ita Hyldricus Rex, qui ultimus Merovingicorum Francis imperavit, depoſitus & in Monaſterium miſſus eſt. Pipinus vero in civitate Sveſſionum a S. Bonifacio Archiepiſcopo in Regem unctus, Regni honore ſublimatus eſt.* ANNALES METENSES, LOISELIANI & EGINHARDI erronee hæc ad annum 750 referunt; quos ſecutus BERTINIANUS ANNALISTA ſubjungit: *Hildericus vero, qui falſo Rex vocabatur, tonſoratus eſt, & in Sithiu Monaſterium* S. Bertini *miſſus.*

Ancipites tenuit ſummi nominis Viros, quo anno Childericus ſit depoſitus. Sunt, qui annum 750, Sunt, qui 751 tuentur, inter quos agmen duxit MABILLONIUS *ο πανυ*, nec omnino argumentis deſtituuntur. Ex Pippini annis conſtabit, accidiſſe anno 752. ANN: EGINH: quos vel ADELMI BENED: vel AIMOINI nomine excitare ſolent ad anno 750. — *Pippinus Rex Francorum appellatus eſt* — *Hildericus vero qui falſo Regis nomine fungebatur, tonſo capite in monaſterium miſſus eſt. Regnavit autem Pipinus Rex annos XV menſes IV & dies XX. Tenuerat vero ante principatum & Majoratum domus, anno X ab obitu patris ſui uſque ad ſuſceptionem regni* Animam exhalavit Carolus Martellus die *22 Octobr. 741.* Eodem die 751 claudebatur X Pipini annus ab obitu patris. Pipinus univerſæ carnis viam ingreſſus 24 Sept. 768. vigeſimo die poſt quartum menſem anni XVI regni. Primus itaque dies ejus anni incidit in diem IV Maji. Subtracti XV integri anni relinquunt annum 752, cujus die 4 Maji auſpicatus Regnum Pipinus deturbato Childerico. Eo gravius ADELMI teſtimonium, quo vetuſtius, &, quod aliis documentis bene multis corroboratur, validiſſimum. LATERULUS TILIANUS autore coætaneo: *Pipinus regnavit annos XVI & dimidio* CONTINUATIO FREDEGARII juſſu Nibelungi ſcripta, *Pippinus, ait, regnavit annis viginti quinque*, ANNALES METENSES habent: *annis XXVI, regnavit poſt diſceſſum patris ſui Karoli;* Iſta completos hi incompletos numerarunt

merarunt annos, utrique ſubductis ſedecim incompletis remanet annus 752. Eruit ex Archivo Sangallenſi VADIANUS, & libro II de Collegiis Monaſteriisque Germaniæ Veteribus inſeruit Chartam pag. 41 ſic finientem: --- *Ego Arnulfus rogitus anno ſexto Pipini Regis die Mercurii XII Kalend. Jan. ſcripſi & ſubſcripſi.* Duodecimus Kalend. Januarii ſive XXI Decembris circa iſta tempore in nullum Mercurii diem cadit niſi anni 757, quod juxta calculum SCALIGERI PAGIUS ſolide probavit. Ergo 757 ſextus Pipini annus, atque 21 Dec. 752 primus ejus labebatur annus. Suffragatur egregie alia SANGALLENSIS CHARTA apud GOLDASTUM T. II Allem. pag. 47. nro 67: *Facta ſub die Lunis V Idus Majas anno X regnante Domno noſtro Pipino Rege Francorum.* Qvinta Iduum Maji ſive XI dies Maji anno 757 diem Mercurii præ ſe ferebat, quod facili ſupputatione vel tantum Calendario inſpecto anni, cujus 21 Dec. Mercurio congruit, colligitur. Procedente quovis anno die menſis in ſequentem hebdomadis, undecimus Maji anni 758 fuit dies Jovis, 759 Veneris, 760 quod intercalaris, tranſito die Saturni, dies Solis, atque 76 dies Lunæ. Dies itaque Lunæ, ſive quintæ Idus Maji anni X Pippini regnantis congruunt anno 761, adeoque eædem Idus primi anni, Incarnationis anno 752. Accedat præterea in robur demonſtrationis CHARTA FRISINGENSIS ex MEICHELBEKII T. I. P. II. pag. 29. nro 8: - - *Actum in caſtro Publico nuncupante Friſiginga ſub die Idibus Decembris Lunæ XXII Indictione XII regnante illuſtriſſimo Rege Pippino anno VIII & venerabile Duce Taſſilone anno XIII.* Obſervarunt diu eruditi, Bavaris in more poſitum fuiſſe, Indictiones a Natalitiis Domini numerare. Indictio XII, quæ a Septembri 758 decurrebat alias, in Bojoaria a Natalitiis Domini anni 758 ad Natalem 759 decurrebat, Idusque Decembris anni VIII Pippini conveniunt anno 759, eædemque Idus anni I anno Incarnationis 752. Alia MEMBRANA FRISINGENSIS T. I. P. I. pag. 34 habet: *Ego Arbeo ſcripſi & teſtes firmavi anno ſecundo excellentiſſimo regnante Pippino Rege, quando Domnus Apoſtolicus in partibus Galliæ venerat, anno ſexto Taſſelonis eleſtiſſimi Ducis VIII Kalend. Julii, Lun XXVIII.* BARONIUS & poſt eum PAGIUS invicte probant, Stephanum Papam anno 753 Galliam ingreſſum, quod cum anno ſecundo acciderit, apparet, Pippini annum I anno 752 cucurriſſe. Elucent porro quæ hactenus expendimus, ex CLAUSULA LIBRORUM GREGORII TURONENSIS de gloria Confeſſorum in pervetuſto exemplari reperta apud MABILLON. Dipl. pag. 384: *Si noſſe vis Lector, quibus hic libellus temporibus videatur eſſe ſcriptus, & ad ſacrorum Martyrum pretioſam editus laudem, invenies Anno ab Incarnatione Domini ſeptengenteſimo, ſexageſimo ſeptimo, temporibus feliciſſimi atque tranquilliſſimi & Catholici, Pippini, Regis Francorum &*

 Patricii

Patricii Romanorum, filii beatæ memoriæ quondam Caroli Principis, anno feliciſſimi regni ejus in Dei nomine ſexto decimo, Indictione V. Recurrimus ab anno 767 Indict. V. ſedecimo Pippini in primum Pipini, exſurgit iterum annus 752, ut adeo abunde evictum ſit, Childericum Majo menſe 752 de ſolio dejectum, in Monaſterium S. Bertini Sithunenſe detruſum fuiſſe. Obiit in eo tonſus anno 754, teſte IPERIO, qui ex antiquiſſimis ſui monaſterii monumentis refert pag. 487: *Hujus ſecundæ coronationis Pipini* (anno 754 celebratæ a Papa Stephano) *tempore rex Hildericus monachus hujus eccleſiæ obiit, & hic in monaſterio ſepelitur.*

AVENTINUS autor eſt, Giſelam Conjugem Childerici paria cum marito fata paſſam in Cochelenſe cœnobium abiiſſe. Suffragari videntur MONUMENTA BENEDICTOBURANA apud PEZIUM T. III. Anecd. P. II. pag. 610 quæ MEICHELBEKIUS ſuis illuſtravit notis, ubi: *Deſcriptio pecuniæ vel librarum* librorum *quos ad Eccleſiam ſancti Michahelis Archangeli ad Qvochalun tradidit Kyſila Monialis regali Francorum progenie edita pro ſui commemoratione.* Inter libros recenſentur *Omeliæ b. Gregorii Papæ*, in cujus libri fine ſequentia extare aſſerit Pezius: *Chadold Presbyter ſcripſit iſtas Omelias, qui cum Regina Kyſila venit ad Monaſterium ſancti Michaelis Archangeli ad Qvochalun Obitus Domnæ Kyſilæ Monialis & Reginæ ſub die Idus Martii.* Encomium Reginæ ſuffecit legentibus ea, cum aliam Reginam In Monaſterium truſam antiquitas ſileat, condere, ex Giſela, uxorem Childerici Regis exauctorati. At vero, ut nihil dicam de titulo Reginæ omnibus quondam Regum filiabus, etiam viro conjunctis, communi quin propio, ipſe Index librorum convellit opinionem erronee imbibitam. Donavit Giſela, quæcunque fuerit Regina vel Regis filia, *Antiphonaria II & II Gradalia* &c. &c. --- *quos per ſuos Capellanos fecit ſcribi Engilhardum, Chadoldum, Tracholfum, Friſingenſis Eccleſiæ Epiſcopum*, reliquos. Dracholfus, qui *Capellanus* dicitur *Reginæ Kyſelæ* anno 908 teſtibus Hundio & Meichelbekio Friſingenſi Infula decoratus fuit. Conjux Childerici anno 752 Monaſterio incluſa. Qvi igitur fieri poterit, ut Giſela Regina Dracholfo coætanea Childerici conjux credatur. Diſſonantia certe temporum validiſſimum argumentum luculenter perſvadet Giſelam iſtam Carolingico ſangvine ortam longe poſt fata Childerici. Certum tamen eſt, ex conjuge, quæcunque fuerit, ſuſcepiſſe filium Theodoricum, paria cum genitore fata paſſum. CHRONICON FONTANELLENSE apud HENSCHENIUM in Sigeberto §. 103 & Dagobertis: *Childericus anno 750 depoſitus, tonſusque ac in Monaſterio S. Audomari, quod dicitur Sitbiu truſus. Cujus filius, THEODORICUS nomine in hoc* Fontannellenſe *monaſterio anno ſequenti* (753) *Clericus effectus collocatus eſt.* THEO-

THEODORICUS III Rex Francorum Neustrasiorum, ex Bathilde filius Clodovei II.

DIPLOMA STABULENSE ex Codice Bambergensi apud HENSCHENIUM de Dagob. pag. 141: *Theudericus Rex Francorum, Vir illuster --- notum sit --- quia venerabilis Vir Godoinus Abba de monasterio Stabulau & Malmundario quæ sunt --- a bonæ memoriæ avunculo nostro Sigeberto quondam Rege --- constructa, Clementiam nostram exposcit --- Præcipientes enim ut, sicut constat a supra scripto Principe Domno Sigeberto vel* GERMANO NOSTRO CHILDERICO *quondam Rege --- ad ipsa monasteria --- fuisse conlatum --- S. c. & d.*

Ortum & fata priora exposuimus, ubi de fratribus ejus egimus. Occiso Childerico fratre anno 673 Neustrasiæ regnum adeptus est, cum Austrasiam Dagobertus II regeret. Anonymi de VITA S LEODEGARII, cui in plerisque consensit URSINUS, verba ad Theodoricum spectantia supra dedimus in Clodoveo ficto Chlotarii III filio Antirege Theodorici anno 673.

VITA S. REMACLI cap. 21: *At ille* Childericus *postea propter moram insolentiam interfectus, fratrem Theodoricum habuit in Occiduis regni partibus successorem,* in Austrasia vero tum Clodoveus ipsi ab Ebroino oppositus erat.

AIGRADUS Monachus Vitæ S. Ansberti Rothomagensis Archiepiscopi ad ipsius successorem scripta apud DUCHESNIUM T. I. & apud ANTWERPIENSES 9 Febr. cap. 1: *Eo igitur tempore, quo sceptra regni Francorum gubernabat Chlotharius filius Chlodovei Regis & Bathildis Reginæ una cum germanis suis videlicet Childerico & Theoderico --- Ansbertus --- erat ortus ---* Cap. 4, nro 15: *Huic venerando Patri Lantberto Theodoricus Rex filius Clodovei Regis & Bathildæ Reginæ largitus est patrimonium aliquod.* Idem testatur VITA S. CONDEDI Monachi pag. 684 eodem AIGRADO autore.

GESTA FRANCORUM cap. 45: Occiso Childerico media æstate anni 673, *Franci Leudesium filium Erchinaldi nobilem in Majorem domus Palatii eligunt --- Ebroinus --- a Luxovio Cœnobio egressus in Franciam revertitur cum armorum apparatu --- interfectis custodibus ad S. Maxentium Hissera* Iseram *transiens, ibi quos reperit de insidiatoribus suis occidit. Leudesius una cum Theoderico & sociis quamplurimis*

plurimis per fugam evasit. Ebroinus autem eos usque ad Bacio ville insecutus est, ibique thesauros regales apprehendit. Deinde post hæc Crisciago veniens, Regem recepit. Leudesium autem data fide sub dolo ad se venire mandavit. Quo facto, Leudesium interfecit, & ipse Principatum sagaciter recepit. Mutatis aliquantulum verbis enarrat eadem CONTINUATOR FREDEGARII cap. 96. Facta hæc anno 674, quo Dagobertus II in Austrasiæ regnum restitutus. Theodoricus rebus per pacem cum Dagoberto II anno 677 initam compositis, Dagoberto mense Martio anno 678 occiso Austrasiam adeptus totius Franciæ Monarcha factus est. Hæc in Dagoberto II exposuimus.

CONTINUATOR FREDEGARII, cap. 97: *In Austria quoque mortuo Vulfoaldo Duce, Martinus Dux & Pipinus filius Ansegisili quondam Franci nobilis dominabantur. Defunctis Regibus* Dagoberto II nempe, & Sigeberto filio, *commissis invicem Principibus Ebroino, Martino & Pipino adversus Theodoricum Regem excitantur ad bellum. Commoto exercitu ad locum, cui vocabulum est Locofico: interim commissi prælium ineunt, ibique magno certamine dimicantes, plurima pars populi ex utrisque partibus corruit. Devicti cum sociis Martinus atque Pippinus in fugam lapsi sunt, persecutusque eos Ebroinus, maximam partem de illa regione* Lugdunensi *vastavit,* Martinumque contra datam fidem interfecit. Consentiunt in omnibus Gesta Francorum cap. 46.

CONTINUATOR FREDEGARII cap. 98. 99. & 100: *Ebruinus quoque magis atque profusius crudeliter Francos opprimebat, donec tandem aliquando Ermenfrido Franco minas parat, resque proprias tollere disponit. Consilio cum suis patrato nocte collecta manu sociorum, per noctem super eum consurgens Ebruinum interficit.* Tertio post martyrium S. Leodegarii anno testatur ANONYMUS DE VITA S. LEODEGARII adeoque, cum Leodegarius anno 678 ignominiosa morte occubuerit, anno 681, *Ermenfridus ad Pippinum Ducem in Austriam pervenit. Franci Waradonem illustrem virum loco Ebroini in honorem Majoris domus constituerunt.* Is *obsides a Pippino Duce accipiens pacem invicem patraverunt — Waradoni filius — Gislemarum — patrem ab honore proprio supplantavit — Fuerunt igitur inter Pippinum & Gislemarum discordiæ multæ, bella civilia plurima. Nam ad castrum Manucum,* Namurcum plerumque interpretantur, *contra hostem Pippini Ducis Gislemarus consurgens, — plurimos eorum nobiles viros occidit. Inde vero reversus — a Deo percussus iniquissimum fudit spiritum. Illoque mortuo pater ejus Warado honorem pristinum Majoris domus recepit. Warado obiit cujus gener nomine Bertharius honorem Majoris domus recepit* circa 686 eo enim anno occurrit in diplomate Theodorici Regis infra recitando. *Hæc indignantes Franci Pippinum super*

super Bertharium & reliquam partem Francorum concitant. Pippinus commoto exercitu hostiliter ab Austria consurgens contra Theodoricum Regem & Bertharium properat ad bellum. Conjuncti in oppido Vermandensi in loco, qui dicitur Textricio, hodie Tertri, *bellum mutuo gesserunt. Prævalente Pippino cum Austrasiis Theodoricus Rex cum Berthario fugam iniit, Pippinus victor extitit, persecutusque eam regionem* Neustriam *sibi subjugavit. Sequenti tempore idem Bertharius ab adulatoribus falsis interfectus est, instigante Ansflede socru sua. Post hæc autem Pippinus Theodoricum Regem accipiens cum thesauris & domum Palatii, omnia peragens in Austriam remeavit Northerto custode Regis relicto,* ut habent GESTA FRANCORUM cap. 48. Consentit AIGRADUS Vita S. Ansberti cap. 8.

Hæc est pugna ista decretoria, qua omnis Regum Meroveadarum potestas penitus concidit. *Ex hinc enim,* infit Ercambertus apud FREHERUM pag. 167, *Reges nomen non honorem habere cœperunt. Quibus tamen ubi constitutum fuerat, victus fuerat exuberans, custodiaque jugis erga illos habebatur, ne aliquid jure potestatis agere possint.* Curiosius EGINHARDUS de Carolo M. cap. 1: *Gens Merovingorum, de qua Franci Reges sibi creare soliti erant, usque in Hildericum regem, qui jussu Stephani Romani pontificis depositus ac detonsus, atque in monasterium trusus est, durasse putatur: quæ licet in illo finita possit videri, tamen jamdudum nulli vigoris erat, nec quidquam in se clarum, præter inane REGIS vocabulum præferebant. Nam & opes & potentia regni penes palatii præfectos, qui MAJORES DOMUS dicebantur, & ad quos summa Imperii pertinebat, tenebantur: neque Regi aliud relinquebatur, quam ut regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba submissa solio resideret, ac speciem dominationis effingeret, legatos undecunque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, quæ erat doctus vel etiam jussus ex sua velut potestate redderet, cum præter inutile Regis nomen & precarium vitæ stipendium, quod ei præfectus aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprii possideret, quam unam præparvi reditus villam, in qua domum, & ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequium exhibentes, paucæ numerositatis habebat. Quocunque eundum erat, carpento ibat, quod bubus junctis, & bubulco rustico more agente trahebatur, sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conventum, qui annuatim ob regni utilitatem celebrabantur, ire, sic domum redire solebat. At regni administrationem, quæ vel domi vel foris agenda ac disponenda erant, præfectus aulæ procurabat.* Interest utique curatius indagare Epocham infractæ Autoritatis regiæ, stabilitæque potentiæ Majorum domus. Quotquot evolvas Scriptores Sec. IX X Francicos, retulisse omnes præeuntem unum secutos pugnam Tetricensem in annum 691, observabis. Sed quo minus credantur, sibi ipsi sunt obstaculo. Uno ore enim tribuunt Pipino Heristallio, anno 714 Decembri mense, defuncto, XXVII annos

regiminis. CONTINUATIO FREDEGARII jussu Childebrandi scripta cap. 104 : *Pippinus Dux ægrotans mortuus est. Regitque populum Francorum annos XXVII.* GESTA FRANCORUM, cap. 51 : *Obtinuitque Principatum sub supra scriptis regibus annos XXVII.* LIBELLUS vetusti Scriptoris de MAJORIBUS DOMUS apud DUCHESNIUM T. II. pag. 2 : *Ipse quoque Pippinus eodem anno, qui est Incarnationis Dominicæ 714 medio Decembri obiit, postquam obtinuit Principatum sub nominatis Regibus annis XXVII.* Consentiunt FULDENSES annales ad annum 714. Chronicon MOISSIACENSE pag. 137. Addunt Annales METENSES ad annum 714. VI menses : *Pippinus vero Princeps -- in pace obiit XVII Kalendas Januarii. Rexit autem populum Francorum annis XXVII & mensibus sex.* Nisi incompleti menses numerandi, finitus est regnantis Pippini annus 27 die XVI Junii ann 714, eodemque die 28 incepit. Sed ipso etiam die anni 687 primum regiminis annum auspicatum oportuit esse Pippinum. Unde, quodsi ANNALISTA recte rationes mensium subduxit, clarescit, pugnam regiæ majestatis debellatricem pugnatam esse anno 687 die XVI Junii. Annum certe probat CHRONICON BREVE ex Bibliotheca Thuani apud DUCHESNIUM T. III. pag. 357 : *Anno verbi incarnati 425 Franci primum habuere Regem Ferramundum, cujus proles regnavit usque ad 687 annum verbi incarnati. Tunc enim Pipinus filius Ansegili Princeps Francorum fuit.* Chronicon PETAVIANUM ibidem pag. 349, & FLORIACENSE pag. 354 uno anno serius sed erronee : *Anno ab Incarnatione Christi DC LXXXVIII Pippinus Auster Major domus Regiæ Principatum Francorum suscepit.*

Annales METENSES ad annum 692 : --- *Pippinus singulis annis in Kalendis Martii generale cum omnibus Francis secundum priscorum consuetudinem Concilium agebat. --- In quo ob regii nominis reverentiam eum, quem sibi ipse propter humilitatis & mansuetudinis magnitudinem præfecerat, præsidere jubebat --- his peractis, Regem illum ad Mamaccas villam publicam custodiendum cum honore & veneratione mittebat. Ipse vero --- Regnum Francorum --- gubernabat.* Ad annum 693 : *Anno Dom. Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 693 Pippini vero singularis Principatus super Theodoricum.* (desunt quædam) *Qui antequam vinceretur a Pippino annis XIV, victus vero sub eodem regnavit III annis moritur.* Frena regni capessivit anno 673, inde usque ad annum 687 defluxerunt quatuordecim anni, post hæc completos tres annos vixit moderatore Pippino. Obiit itaque 691.

GESTA FRANCORUM cap. 49 : *Obiit autem Theudericus Rex, regnavitque annos XIX.* CONTINUATIO FREDEGARII cap. 101. quæ æram a morte Dagoberti II traxit : *regnavit autem annos XIV.* GENEALOGIA ex Codice

Codice Conciliorum pag. 793: *Theodericus filius Chlodovei regnavit annos XVIII* CHRONICON BREVISSIMUM & LATERCULUS TILIANUS apud DUCHESNIUM T. I. pag. 781: *Theodoricus regnavit annos XVII* EPITAPHIUM Theodorici Atrebati in S. Vedasti Monasterio inscriptum epistylio Mausolei ejus apud DUCHESNIUM T. I. pag. 687:

Rex Theodoricus ditans ut verus amicus
Nos ope multimoda jacet hic cum conjuge Doda
In decies nono cum quinquagies duodeno
Anno defunctum sciet hunc, qui quatuor addet (694.)

Plura adducere loca non attinet. Mire variant in anno mortis. Sed rejiciendi omnes præter GESTA FRANCORUM, quibus ERCAMBERTUS pag. 780: *Theodoricus Rex filius Clodovei, frater Clotharii regnavit annos XIX*, & HERMANNUS CONTRACTUS CANISIANUS ad annum 691: *Apud Francos Theodoricus Rex anno regni XIX moritur.* consentiunt. Apparet enim ex CHARTA Vandemiris apud MABILLONIUM de re diplomatica pag. 472 quæ *anno XVII regni Domni nostri Theuderici*, data, Regem annum 690 vivendo attigisse. Decimus nonus incœpit annus Theodorici mense Martio 691 nec multos ejus peregisse mensis dies videtur, quoniam ab ANNALISTA METENSI tres tantum post pugnam Tertracensem ipsi tribuuntur anni. Exactos ANNALISTA numeravit, omissis mensibus, quos anni quarti vixit. Pugna pugnata Junio mense 687. Tertius annus Childeberti post eam claudebatur Junio 690. Jungendi itaque novem menses, anni quarti. Obiit Theodoricus post tres annos exauctorationis anno XIX regni Martio Aprili vel Majo mense anni 691.

CHRODECHILDIS
Uxor Theodorici III.

DIPLOMA apud MABILLONIUM de re diplomatica pag. 471: *Theudericus Rex Francorum Vir inluster --- Nos pro salute animæ nostra --- villa nuncupanti Latiniaco, quæ ponitur in pago Meldequo, qui fuit inlustribus viris Ebroino Warattone & Ghislemaro quondam Majoris domos nostros --- ad suggestione præcelsæ reginæ nostræ CHRODOCHILDE, seo & inlustri viro Berchario Majorem domos nostra,*

ad monasterio sancti Domini Dionysiæ --- visi fuimus concessisse --- Datum sub die III Kalend. Novembris annum XVI regni nostri Compendio in Dei nomine feliciter. Quadrant notæ Chronicæ in annum Incarnationis 688. Sed jam anno 687 Junio mense in pugna Tetricensi ceciderat Bercharius Major domus, unde sequeretur, vel cartam suppositititiam vel pugnam fatalem auctoritati regiæ in annum 689 referendam. At probe monuit PAGIUS, MABILLONIUM quandoque notam Merovingicam numerum XIV designantem pro ea, quæ numerum XVI denotat, sumsisse, quod & in hoc documento accidisse oportuit. Sufficienter demonstravimus annum prælii internecini 687. Data ergo Charta anno XIV regni 29 Sept. 686.

PRIVILEGIUM SITHUNIENSE ex FOLQVINO apud MABILLONIUM pag. 607: *Chlodoveus Rex Francorum Vir inluster --- venerabilis Vir Bertinus Abba de monasterio Sithiu --- clemencia regni nostri suggessit, eo quod avus noster Chlodovius quondam Rex --- omnes curticellas --- quicquid præsenti tempore possidebant --- antecessore suo Mummolino --- concessit --- Unde & --- confirmationem avunculorum nostrorum Chlotacharii & Childerici seu & genitoris nostri Theoderici quondam Regis --- nobis in præsente ostendit relegendas --- & --- petiit --- ut hoc --- confirmare deberemus --- Et ut hæc auctoritas firmior habeatur --- nos & præcelsa genitrice nostra Chrotechildis Regina manus nostræ signaculis subter eam decrevimus confirmare. Signum gloriosi Chlodovei Regis. Signum præcelsæ* GENITRICIS NOSTRÆ CHRODECHILDIS *Reginæ. Actum sub die Kalend. Junias anno I regni nostri.* GESTA FRANCORUM cap. 49: *Chlodovæus filius ejus* Theodorici *puer regalem sedem suscepit ex Regina nomine Clothilde progenitus. Nec multo post ipse Chlodoveus Rex puer mortuus est, regnavitque annos II.* Valeat itaque *Doda* ab Autore EPITAPHII & ALBERICO ad annum 694 Theodorici dicta conjux.

CHLODOVEUS Clotharius filius Theodorici ex Chrotilde, Rex Francorum.

DIPLOMA apud MABILLONIUM Diplom. pag. 474: *Chlodovæus Rex Francorum Vir inluster. Dum ante hus annus* PROAVUS *noster* DAGOBERCTUS *quondam Rex solidus cento eximtis de Massilia civetate sicut ad cellario fisci potuerant esse exactati, ad basileca peculiaris patroni nostri Domni Dionysii, ubi ipsi preciosus in corpure requiiscit, & Venerabilis vir Chaino Abba præesse viditur, per sua praeceptione concessisset, &* PARENS (Gallice parent) *noster* SIGEBERCTHUS, *seu &* HABUNCOM

COLI NOSTRI CHLOTHARIUS & CHILDERICUS, etiam & GENETUR NOSTER THEUDERICUS condam Regis per eorum præceptionis hoc ibidem dinuo concesserunt vel confirmarunt --- Ideo &c. Datum quod ficit mensis Junius dies quinque anno secundo rigni nostri Nåviento feliciter. Anno 692. Binominem fuisse evincunt CHARTÆ Childebercti fratris infra recitandæ, & Pippini Regis autographum ex DUBLETO & FELIBIENO apud MABILLONIUM pag. 481 in quo: *Missa petitione nobis suggesserunt* Sandionysiana familia *eo quod a longo tempore anteriores Reges Domnus Dagobertus & Chlodovius, seu & postea Hildericus & Theudericus & CLOTHARIUS quondam Reges, etiam & Hilbertus* --- Clotharius ex ordine Regum necessario Clodoveus intelligendus est.

Edidit præterea MABILLONIUS tria placita Chlodovei III. Primum, pag. 473, datum *12 Augusti anno primo regni.* Alterum pag. 474, *15 Maii anno secundo.* Tertium pag. 475, *pridie Kalend. Martias anni tertii.* Divulgata annis 691. 692. 694. Ex quo egregie nostra sententia de Theodorici morte mensibus vel Aprili vel Majo asserta confirmatur. Majo enim & Julio Augustoque cucurrit primus Chlodovei annus. De gestis Chlodovei nihil est quod dicamus, cum speciem & nomen tantum gesserit.

ANNALES METENSES ad annum 693: *Cui,* Theodorico, *ob jam dictæ pietatis affectum filius ejus parvulus nomine Clodoveus a Pippino ordinatur in Regem. Qui dum QVARTUM ANNUM in Regno complevisset innocentem vitam finivit.*

CONTINUATIO FREDEGARII CHILDEBRANDINA cap. 101: *Chlodoveum filium ejus* Theodorici *parvulum elegerunt in Regnum. Nec post multos vero annos prædictus Rex Chlodovæus ægrotans mortuus est, Regnavit autem annos IV.*

LATERCULUS TILIANUS pag. 781: *Chlodovæus regnavit annos IV obiit in V.* Reliqui scriptores & Chronica vel duos tantum aut tres annos regni attribuunt Chlodoveo. Ultra quatuor annos regnasse ex adductis certum est. Qvartus effluxerat Martio mense 695, cumque eum complevisset, statim mortuus est. Interest ad Chronologiam paterni simul atque avunculi obitus hæc pensiculatius demonstrare. Excerpsit ex Codice quodam vetustissimo Eusebiani Chronici notulam aliena sed ant qua manu adjectam suisque animadversionibus ad EUSEBIUM inseruit SCALIGER pag. 260, quæ ita habet: *Annum V Childeberti Regis Francorum Pippino jubente, ab Adam sunt anni V millia DCCCCC. fuit Pascha X Kalend. Aprilis Ascensio Domini*

fuit K. Madias per cyclum numerum annorum CXL. Repetitio a Capite Cycli. Cyclus designatur Victoris. Is annos 532 complexus ab Incarnationis anno 28 incluso prima vice cum anno 559 defluxerat, quod PAGII solidis argumentis superstructam probationem secuti in Clodoveo II monuimus. Repetitus sive alter Cyclus Kalend. Januarii 560 exorsus est. Ejus annus centesimus quadragesimus in annum Incarnationis 699 incidit. Eidem anno secundum calculum PAGII, SCALIGERI, atque MABILLONII Annus Mundi Eusebianus, celebratumque Pascha X Kalend. Aprilis conveniunt. Ergo 23 Martii 699 currebat annus V Childeberti, & 695 I annus ejus. Jam vero Chlodoveus obiit 695 finito quarto anno. Successerat Patri 691 XIX regiminis annum agenti, quartum vero a pugna Tetricensi. Childericus indubitato locum fecit Theoderico mense Martio anni 673. Ergo mense Martio 691 Theodericus, & mense Martio 695 Chlodoveus III decesserunt.

CHILDEBERTUS II Rex Francorum, filius Theodorici III ex Crotilde.

DIPLOMA apud MABILLONIUM Diplomat. pag. 476: *Childeberthus Rex Francorum inluster --- cognuscat magnitudo seu humilitas vestra, quod nos villa nuncupante Napsiniaco in pago Bitorico --- quem --- Domnus Godinus Lugdunensis urbis Episcopus --- pro alia villa --- tempore bonæ memoriæ GERMANO NOSTRO CLODOVIO condam Rege ad parte fisci in commutationis titulum visus fuit dedisse --- Datum quod ficit mensis Decembris dies XIII anno primo rigni nostri, Compendio villa nostra in Dei nomine feliciter. (695)*

ALIUD pag. 477: *Childeberthus Rex Francorum inluster --- Cum --- vir Magnoaldus Abba de monasterio Trusonevalle --- præceptione domno & GENETORE THEUDERICO quondam Rege se habere affirmat, ut nullus judex publicus ad causas audiendum vel fridda exigendum ibidem introitum nec ingressum habire non deberit. Quod nos --- Datum quod ficit mensis Aprilis dies octo, annum secundum regni nostri in Dei nomine Novigento feliciter. (696)* Consule præterea CHARTAS Childeberti ibidem sequentes, *25 Febr. anno 8 regni, (703) 12 Martii anno 12, (706) 8 Aprilis anno 15, (709)* datis. Ultimam apponere juvat: *Childebertus Rex Francorum Vir inluster. Cum in nostra vel Procerum nostrorum præsentia Mamacas* (hodie Maumaques sive Mommarques ad Isaram in pago Noviomensi: Vide MABILLONIUM & GERMANUM de palatiis voce Mamacæ.)

resi-

--- *resideremus venientes Agentes --- Dalfino Abbate --- sancti Dionysii --- adserebant adversus Agentes inlustri Viro Grimoaldo Majorem domus nostræ, quod a longo tempore CHLODOVIUS quondam AVUS noster, seu & postbia avunculus noster Childericus, vel Domnus & GENETUR NOSTER THEUDERICUS, etiam & GERMANUS NOSTER CHLODACHARIUS,* en Clotharium fratrem, quem priori Chlodoveum dixerat, *per eorum perceptionis illo telenen, quicquid de omnes neguciantes aut Saxonis vel quascumquelibet nationes --- ad illo marcado advenientes ad ipsa basileca S. Dionysii in integretate concessissent --- Datum quod ficit mensis December dies XIII anno XVI rigni nostri Mamaccas feliciter. (710)*

GESTA FRANCORUM autoris Coævi cap. 50: *Childebertus Rex justus migravit ad Dominum. Regnavit autem annos XVII sepultusque est Cauciago Monasterio Basilica S. Stephani Martyris.* (Choisy haud procul Compendio, Compiegne.) CONTINUATOR FREDEGARII contemporaneus pag. 104: *Childebertus regnavit annos XIII.* Vitio Librarii scriptum *XIII* pro *XVI* recte suspicantur MABILLONIUS & PAGIUS. XVII annos regni tuentur ERCAMBERTUS, CHRONICON BREVISSIMUM ex Codice Remensi pag. 781 LATERCULUS TILIANUS pag. 781 & GENEALOGIA ex Codice Capitulorum pag. 793 apud DUCHESNIUM T. I.

ANNALES METENSES: *Anno ab Incarnatione Domini 711 Hildebertus Rex obiit. Sepultusque est Cauciaco in Basilica Sancti Stephani martyris. Qui gubernante Pippino regnaverat annos XVI. Post cujus discessum Pippinus solita pietate filium ejus Dagobertum in Regem ordinavit* Ad eundem annum notarunt Chronicon MOISSIACENSE, Chronicon BREVE T. III pag. 349. FLORIACENSE pag. 354. Annales NAZARIANI apud FREHERUM T. I. TILIANI apud DUCHESNIUM T. II. pag. 6.

Chronicon MEDARDENSE a MABILLONIO, PAGIO & ECCARDO citatum: *Childebertus Rex Francorum obiit XVIII Kalend. Maji. Sepultusque est apud Causiacum in Basilica S. Stephani Protomartyris. Dagobertus junior puer, filius ejus successit.*

Optime consentiunt omnes in designando anno mortis. Rerum potiebatur Childebertus medio Martio 695, ex quo ad Martium 711 defluxerant anni XVI integri. Obiitque exactis XVI completis, inchoato XVII die XV Aprilis anni 711.

ERME-

ERMENECHILDIS
Uxor Childeberti II.

ACTA TULLENSIUM Epiſcoporum autore Sec. XII apud MARTENE Anecd. T, III, pag. 996 : *Deinde Garibaldus filius Volfaudi eſt a cunctis electus idoneus pontificii. Ipſe --- acquiſivit ad eandem, quam regebat, eccleſiam apud glorioſum regem Childebertum, interveniente ERMENECHILDE REGINA EJUS UXORE abbatiunculam unam in bonore S. Petri dicatam, quæ eſt ſita in ſaltu nomine Dervo & villas, quæ cognominantur Magniaca villa & Boneriacus cum Capedonia ſuper fluvium Saltum. Acquiſivit etiam multa alia, ſicut in ejus cartis habetur --- Hunc ſubſecutus Godo Epiſcopus --- is recuperationem cartarum, quas ignis conſumſerat, ſuæ eccleſiæ, apud Pipinum acquiſivit Regem.* Hæc de Godone addere opus erat, ut in comperto ponatur, ſermonem heic eſſe de Childeberto II. Albericus ad annum 719 : *Apud Tullum Girbauldo ſucceſſit Godo.*

DAGOBERTUS III. Rex Francorum,
filius Childeberti II.

VITA SANCTI URSMARI Abbatis Lobienſis apud DUCHESNIUM T. I. pag. 688 : --- *Beatus Urſmarus --- accerſitus a Pipino ſeniore, ſub quo regnaverunt Theodericus ab eodem Principe in Textricio villa devictus, nec non & filii ejuſdem Theoderici Clodoveus & Childebertus, FILIUS quoque CHILDEBERTI DAGOBERTUS, idem Monaſterium ſuſcepit regendum ---*

VITA S. LEUFRIDI Abbatis ibidem pag. 689 : *Servus Dei Leufredus --- evenit, ut nobiliſſimum Principem Karolum Majorem Domus adiret, qui eo tempore, quo DAGOBERTUS REX CHILDEBERTI glorioſiſſimi Regis FILIUS, Regnum Francorum tenebat, curam reipublicæ nobiliter adminiſtrabat ---*

PRIVILEGIUM apud MARTENE Anecd. T. I. pag. 6 : *Dagobertus Rex Francorum Vir illuſter --- Venerabilis Ibbolenus Abba de monaſterio Aniſola, qui eſt in pago Cynomanico,* Maine, *in bonore peculiaris noſtri patroni pii, beati videlicet Carileſi Confeſſoris conſtructus,* hodie S. Calais, *per miſſos ſuos Clementiæ regni noſtri detulit in notitiam, eo quod conſobrinus noſter Guntramnus Rex ad ipſum monaſterium ſub omni immunitate per ſuam auctoritatem conceſſiſſet, & hoc poſtea AVI noſtri CHLOTARIUS*

TARIUS & item DAGOBERTUS, seu etiam CHLODOVEUS, nec non & CHLOTARIUS, etiam Domnus & AVUS noster THEODERICUS, nec non & AVUNCULUS noster item CHLODOVEUS & praecelsus Domnus & GENITOR noster CHILDEBERTUS quondam reges --- confirmassent --- quapropter praesenti praecepto jubemus --- In Christi nomine Dagobertus Rex --- Data sub die XV. Kalend. Februarii.

GESTA FRANCORUM cap. 50: *Childebertus Rex --- migravit --- Regnavitque DAGOBERTUS FILIUS ejus pro eo --- Sequente tempore Dagobertus Rex ægrotans mortuus est, regnavitque annos V.* Eadem habet CONTINUATIO FREDEGARII cap. 104. & 106. Consentiunt ERCAMBERTUS, CHRONICON BREVISSIMUM ex Codice Remensi, LATERCULUS vero TILIANUS pag. 782: *Dagobertus regnavit annos IV. Obiit in V.*

Chronicon FONTANELLENSE MSC. apud HENSCHENIUM in Sigeberto cap. 101: *Dagobertus Rex Junior Benigno Abbati largitus est quartam partem de Arlauno Foreste anno quinto regni sui - - - - Edita est autem hæc donatio, sive confirmatio a præfato Rege Dagoberto, anno Dominicæ Incarnationis DCC XV Indictione XIII, V Idnum Juniarum die Dominica. Eodem anno ipse Dagobertus Rex mortuus est.* Conspicuus hinc error CHRONICI Sec. XI scripti apud DUCHESNIUM T. III pag. 349, quod notavit falso diem: *Anno 715 obiit Dagobertus Rex junior XIV Kalend. Februarii, qui regnavit in Francia annis V.*

FULDENSES ad annum 715: *Dagobertus Rex mortuus est.* NAZARIANI 715: *Pugna Francorum & mors Dagoberti Regis.* Adstipulantur PETAVIANI pag. 7, MOISSIACENSES pag. 137, ubi loco II, IV legendum. METENSES ad annum 716: *Eodem tempore Dagobertus Rex obiit, qui regnavit annis V.* Excepit patrem declivi mense Aprili 711. Concessit itaque fatis anno V post 9 Junii 715.

THEODORICUS IV. filius Dagoberti III. Rex Francorum.

GESTA FRANCORUM cap. ultimo: *Franci vero deposito Chilperico THEUDERICUM II Cala* (Chelles) *Monasterio enutritum FILIUM DAGOBERTI junioris Regem super se statuunt. Qui usque nunc in Regno subsistit.*

CONTINUATIO FREDEGARII CHILDEBRANDINA cap. 107: *Quo mortuo Theodoricum Regem statuerunt in sedem Regni, qui nunc locum solii regalis obtinuit annis vitæ simul præstolatis.*

CHARTA ex FOLQVINO apud MABILLONIUM de re dipl. pag. 609: *Theodoricus Rex Francorum --- Cognoscat magnitudo & utilitas vestra --- Erkembodum Abbatem de monasterio Sitdiu per missos suo clementiæ nostri regni talem intulit notitiam, quod TRITAVUS noster THEODORICUS quondam Rex --- antecessori suo Bertino quondam Abbate --- tale beneficium concessisset --- unde & ipsam præceptionem jam dicti tritavi nostri --- nobis in præsentia ostendit ad legendum --- Præcipientes enim ut, quicquid constat, suprascriptum tritavum nostrum Theodericum quondam Regem --- concessisse --- Datum quod facit Novemb. dies decem anno primo regni nostri Confelentis castro. (720)*

CHARTA ex FOLQVINO apud MABILLONIUM de re dipl. pag. 609: *Theodoricus Rex Francorum --- Erkemboldus Abbas de Monasterio Sitdiu --- Clementiæ regni nostri suggessit, quod PROAVUS noster CHLODOVIUS quondam Rex --- ad prædictum monasterium Sitdiu --- concessisset --- Unde & præceptione ipsius Principis PROAVI nostri CHLODOVEI & confirmationibus præcelsorum AVUNCULORUM nostrorum CHLOTACHARII & CHILDERICI seu & AVORUM nostrorum THEODORICI & CHILDEBERTI atque CONSOBRINI nostri CHILPERICI quondam Regis ex hoc præ manibus se habere affirmat. --- Data quando facit Marcius dies III anno primo regni nostri Svessionis civitate in Dei nomine feliciter.* Anno 720, cujus primis mensibus surrogatus est Chilperico II.

Alia apud MABILLONIUM pag. 488: *Theudericus Rex Francorum Vir inluster --- in quo etiam loco* templo Sandionysiano *gloriosi parentis nostri, vel bonæ memoriæ PROATAVUS noster DAGOBERTHUS quondam Rex videntur requiescere --- Data ipsa die Kalendas Martias anno III regni nostri (722) Valencianis in Dei nomine feliciter. Amen.*

Includimus, quæ documenta de origine Theodorici IV pandunt sequenti diagrammati:

Dago-

Dagobertus, proatavus.

Chlodoveus, proavus.

Clotharius & Childeberti avunculi. — Theodoricus III, tritavus & avus.

Childebertus avus

Dagobertus pater.

Theodoricus IV Rex 720.

CHARTA SANGALLENSIS apud GOLDASTUM Alem. T. II. pag. 36. nro 36: --- *Notavi quod feci in menſe Junio V Idus Julias in anno XV regnante Domino noſtro Teoderico Rege ſupra Carulum Majorem Domus.* (734)

CHRONICON BREVISSIMUM ex Codice Rhemenſi pag. 781: *Theodoricus regnavit annos XVII. Annos VII interim alius Rex non regnavit.* LATERCULUS TILIANUS: *Theodoricus regnavit annos XVII. Carolus ſine alio Rege imperavit annos IX.*

ANNALES FULDENSES ad annum 720: *Mortuo Hilprico, Carlus Teotricum in Sedem Regni conſtituit.* Ab anno 720 ad 737 defluxerunt anni 17. Defunctum itaque oportet 737, trimeſtri priori, quodſi completos volumus, anno 736, ſi incompletos.

BREVE CHRONICON interregnum ponit annis VII. LATERCULUS manifeſto errore in annos IX excurrit. Addunt uterque: *Hildericus rex regnavit annos IX.* Extra controverſiam eſt, Pipinum menſe Majo 752 coronatum Regem, detruſo in Monaſterium Childerico. In GOLDASTI Alemannicis extat CHARTA numero 40 *data VII Idus Sept. anno X regni Ilderici Regis.* Septimæ Idus Septembris cucurrere anno 751. Eædemque Idus anni primi Childerici 742. Unde manifeſtum 742 Septembri jam regnaſſe Childericum. Subtractis ſeptem interregni annis completis reſtat annus 736, incompletis 737. Cæterum in deſignandis annis menſibusque ſuperantibus annos tum BREVISSIMUM CHRONI-

plurimis per fugam evasit. Ebroinus autem eos usque ad Bacio villa insecutus est, ibique thesauros regales apprehendit. Deinde post hæc Crisciago veniens, Regem recepit. Leudesium autem data fide sub dolo ad se venire mandavit. Quo facto, Leudesium interfecit, & ipse Principatum sagaciter recepit. Mutatis aliquantulum verbis enarrat eadem CONTINUATOR FREDEGARII cap. 96. Facta hæc anno 674, quo Dagobertus II in Austrasiæ regnum restitutus. Theodoricus rebus per pacem cum Dagoberto II anno 677 initam compositis, Dagoberto mense Martio anno 678 occiso Austrasiam adeptus totius Franciæ Monarcha factus est. Hæc in Dagoberto II exposuimus.

CONTINUATOR FREDEGARII, cap. 97: *In Austria quoque mortuo Vulfoaldo Duce, Martinus Dux & Pipinus filius Ansegisili quondam Franci nobilis dominabantur. Defunctis Regibus* Dagoberto II nempe, & Sigeberto filio, *commissis invicem Principibus Ebroino, Martino & Pipino adversus Theodoricum Regem excitantur ad bellum. Commoto exercitu ad locum, cui vocabulum est Locofico: interim commissi prælium ineunt, ibique magno certamine dimicantes, plurima pars populi ex utrisque partibus corruit. Devicti cum sociis Martinus atque Pippinus in fugam lapsi sunt, persecutusque eos Ebroinus, maximam partem de illa regione* Lugdunensi *vastavit,* Martinumque contra datam fidem interfecit. Consentiunt in omnibus Gesta Francorum cap. 46.

CONTINUATOR FREDEGARII cap. 98. 99. & 100: *Ebruinus quoque magis atque profusius crudeliter Francos opprimebat, donec tandem aliquando Ermenfrido Franco minas parat, resque proprias tollere disponit. Consilio cum suis patrato nocte collecta manu sociorum, per noctum super eum consurgens Ebruinum interfecit.* Tertio post martyrium S. Leodegarii anno testatur ANONYMUS DE VITA S. LEODEGARII adeoque, cum Leodegarius anno 678 ignominiosa morte occubuerit, anno 681, *Ermenfridus ad Pippinum Ducem in Austriam pervenit. Franci Waradonem Illustrem virum loco Ebroini in honorem Majoris domus constituerunt.* Is *obsides a Pippino Duce accipiens pacem invicem patraverunt — Waradoni filius — Gislemarum — patrem ab honore proprio supplantavit — Fuerunt igitur inter Pippinum & Gislemarum discordiæ multæ, bella civilia plurima. Nam ad castrum Namucum,* Namurcum plerumque interpretantur, *contra hostem Pippini Ducis Gislemarus consurgens, — plurimos eorum nobiles viros occidit. Inde vero reversus — a Deo percussus iniquissimum fudit spiritum. Illoque mortuo pater ejus Warado honorem pristinum Majoris domus recepit. Warado obiit cujus gener nomine Bertharius honorem Majoris domus recepit* circa 686 eo enim anno occurrit in diplomate Theodorici Regis infra recitando. *Hæc indignantes Franci Pippinum*

super

super Berthárium & reliquam partem Francorum concitant. Pippinus commoto exercitu hostiliter ab Austris consurgens contra Theodoricum Regem & Bertharium properat ad bellum. Conjuncti in oppido Vermandensi in loco, qui dicitur Textricio, hodie Tertri, *bellum mutuo gesserunt. Prævalente Pippino cum Austrasiis Theodoricus Rex cum Berthario fugam iniit, Pippinus victor extitit, persecutusque eam regionem* Neustriam *sibi subjugavit. Sequenti tempore idem Bertharius ab adulatoribus falsis interfectus est, instigante Ansflede socru sua. Post hæc autem Pippinus Theodoricum Regem accipiens cum thesauris & domum Palatii, omnia peragens in Austriam remeavit Northerto custode Regis relicto,* ut habent GESTA FRANCORUM cap. 48. Consentit AIGRADUS Vita S. Ansberti cap. 8.

Hæc est pugna ista decretoria, qua omnis Regum Meroveadarum potestas penitus concidit. *Ex hinc enim,* inquit Ercambertus apud FREHERUM pag. 167, *Reges nomen non honorem habere cœperunt. Quibus tamen ubi constitutum fuerat, victus fuerat exuberans, custodiaque jugis erga illos habebatur, ne aliquid jure potestatis agere possint.* Curiosius EGINHARDUS de Carolo M. cap. I: *Gens Merovingorum, de qua Franci Reges sibi creare soliti erant, usque in Hildericum regem, qui jussu Stephani Romani pontificis depositus ac detonsus, atque in monasterium trusus est, durasse putatur: quæ licet in illo finita possit videri, tamen jamdudum nulli vigoris erat, nec quidquam in se clarum, præter inane REGIS vocabulum præferebant. Nam & opes & potentia regni penes palatii præfectos, qui MAJORES DOMUS dicebantur, & ad quos summa Imperii pertinebat, tenebantur: neque Regi aliud relinquebatur, quam ut regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba submissa solio resideret, ac speciem dominationis effingeret, legatos undecunque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, quæ erat doctus vel etiam jussus ex sua velut potestate redderet, cum præter inutile Regis nomen & precarium vitæ stipendium, quod ei præfectus aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprii possideret, quam unam præparvi reditus villam, in qua domum, & ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequium exhibentes, paucæ numerositatis habebat. Quocunque eundum erat, carpento ibat, quod bubus junctis, & bubulco rustico more agente trahebatur, sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conventum, qui annuatim ob regni utilitatem celebrabantur, ire, sic domum redire solebat. At regni administrationem, quæ vel domi vel foris agenda ac disponenda erant, præfectus aulæ procurabat.* Interest utique curatius indagare Epocham infractæ Autoritatis regiæ, stabilitæque potentiæ Majorum domus. Quotquot evolvas Scriptores Sec. IX X Francicos, retulisse omnes præeuntem unum secutos pugnam Tetricensem in annum 691, observabis. Sed quo minus credantur, sibi ipsi sunt obstaculo. Uno ore enim tribuunt Pipino Heristallio, anno 714 Decembri mense, defuncto, XXVII annos

 regi-

regiminis. CONTINUATIO FREDEGARII jussu Childebrandi scripta cap. 104 : *Pippinus Dux ægrotans mortuus est. Regitque populum Francorum annos XXVII.* GESTA FRANCORUM, cap. 51 : *Obtinuitque Principatum sub supra scriptis regibus annos XXVII.* LIBELLUS vetusti Scriptoris de MAJORIBUS DOMUS apud DUCHESNIUM T. II. pag. 2 : *Ipse quoque Pippinus eodem anno, qui est Incarnationis Dominicæ 714 medio Decembri obiit, postquam obtinuit Principatum sub nominatis Regibus annis XXVII.* Consentiunt FULDENSES annales ad annum 714. Chronicon MOISSIACENSE pag. 137. Addunt Annales METENSES ad annum 714. VI menses : *Pippinus vero Princeps -- in pace obiit XVII Kalendas Januarii. Rexit autem populum Francorum annis XXVII & mensibus sex.* Nisi incompleti menses numerandi, finitus est regnantis Pippini annus 27 die XVI Junii ann 714, eodemque die 28 incepit. Sed ipso etiam die anni 687 primum regiminis annum auspicatum oportuit esse Pippinum. Unde, quodsi ANNALISTA recte rationes mensium subduxit, clarescit, pugnam regiæ majestatis debellatricem pugnatam esse anno 687 die XVI Junii. Annum certe probat CHRONICON BREVE ex Bibliotheca Thuani apud DUCHESNIUM T. III. pag. 357 : *Anno verbi incarnati 425 Franci primum habuere Regem Ferramundum, cujus proles regnavit usque ad 687 annum verbi incarnati. Tunc enim Pipinus filius Ansegili Princeps Francorum fuit.* Chronicon PETAVIANUM ibidem pag. 349, & FLORIACENSE pag. 354 uno anno serius sed erronee : *Anno ab Incarnatione Christi DC LXXXVIII Pippinus Auster Major domus Regiæ Principatum Francorum suscepit.*

Annales METENSES ad annum 692 : --- *Pippinus singulis annis in Kalendis Martii generale cum omnibus Francis secundum priscorum consuetudinem Concilium agebat. --- In quo ob regii nominis reverentiam eum, quem sibi ipse propter humilitatis & mansuetudinis magnitudinem præfecerat, præsidere jubebat --- hic peractis, Regem illum ad Mamaccas villam publicam custodiendum cum honore & veneratione mittebat. Ipse vero --- Regnum Francorum --- gubernabat.* Ad annum 693 : *Anno Dom. Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 693 Pippini vero singularis Principatus super Theodoricum.* (desunt quædam) *Qui antequam vinceretur a Pippino annis XIV, victus vero sub eodem regnavit III annis moritur.* Frena regni capessivit anno 673, inde usque ad annum 687 defluxerunt quatuordecim anni, post hæc completos tres annos vixit moderatore Pippino. Obiit itaque 691.

GESTA FRANCORUM cap. 49 : *Obiit autem Theudaricus Rex, regnavitque annos XIX.* CONTINUATIO FREDEGARII cap. 101. quæ æram a morte Dagoberti II traxit : *regnavit autem annos XIV.* GENEALOGIA ex Codice

Codice Conciliorum pag. 793: *Theodericus filius Chlodovei regnavit annos XVIII* CHRONICON BREVISSIMUM & LATERCULUS TILIANUS apud DUCHESNIUM T. I. pag. 781: *Theodoricus regnavit annos XVII* EPITAPHIUM Theodorici Atrebati in S. Vedasti Monasterio inscriptum epistylio Mausolei ejus apud DUCHESNIUM T. I. pag. 687:

Rex Theodoricus ditans ut verus amicus
Nos ope multimoda jacet hic cum conjuge Doda
In decies nono cum quinquagies duodeno
Anno defunctum sciet hunc, qui quatuor addet (694.)

Plura adducere loca non attinet. Mire variant in anno mortis. Sed rejiciendi omnes præter GESTA FRANCORUM, quibus ERCAMBERTUS pag. 780: *Theodoricus Rex filius Clodovei, frater Clotharii regnavit annos XIX*, & HERMANNUS CONTRACTUS CANISIANUS ad annum 691: *Apud Francos Theodoricus Rex anno regni XIX moritur.* consentiunt. Apparet enim ex CHARTA Vandemiris apud MABILLONIUM de re diplomatica pag. 472 quæ *anno XVII regni Domni nostri Theuderici*, data, Regem annum 690 vivendo attigisse. Decimus nonus incœpit annus Theodorici mense Martio 691 nec multos ejus peregisse mensis dies videtur, quoniam ab ANNALISTA METENSI tres tantum post pugnam Tertracensem ipsi tribuuntur anni. Exactos ANNALISTA numeravit, omissis mensibus, quos anni quarti vixit. Pugna pugnata Junio mense 687. Tertius annus Childeberti post eam claudebatur Junio 690. Jungendi itaque novem menses, anni quarti. Obiit Theodoricus post tres annos exauctorationis anno XIX regni Martio Aprili vel Majo mense anni 691.

CHRODECHILDIS
Uxor Theodorici III.

DIPLOMA apud MABILLONIUM de re diplomatica pag. 471: *Theudericus Rex Francorum Vir inluster --- Nos pro salute animæ nostræ --- villa nuncupanti Latiniaco, quæ ponitur in pago Meldequo, qui fuit inlustribus viris Ebroino Warattone & Ghislemaro quondam Majoris domos nostros --- ad suggestione præcelsæ reginæ nostræ* CHRODOCHILDE, *seo & inlustri viro Berchario Majorem domos nostra,*

ad monasthirio sancti Domini Dionysiæ --- visi fuimus concessisse --- Datum sub die III Kalend. Novembris annum XVI regni nostri Compendio in Dei nomine feliciter. Quadrant notæ Chronicæ in annum Incarnationis 688. Sed jam anno 687 Junio mense in pugna Tetricensi ceciderat Bercharius Major domus, unde sequeretur, vel cartam suppostititiam vel pugnam fatalem auctoritati regiæ in annum 689 referendam. At probe monuit PAGIUS, MABILLONIUM quandoque notam Merovingicam numerum XIV designantem pro ea, quæ numerum XVI denotat, sumsisse, quod & in hoc documento accidisse oportuit. Sufficienter demonstravimus annum prælii internecini 687. Data ergo Charta anno XIV regni 29 Sept. 686.

PRIVILEGIUM SITHUNIENSE ex FOLQVINO apud MABILLONIUM pag. 607: *Chlodoveus Rex Francorum Vir inluster --- venerabilis Vir Bertinus Abba de monasterio Sithiu --- clemencia regni nostri suggessit, eo quod avus noster Chlodovius quondam Rex --- omnes curticellas --- quicquid præsenti tempore possidebant --- antecessore suo Mummolino --- concessit --- Unde & --- confirmationem avunculorum nostrorum Chlotacharii & Childerici seu & genitoris nostri Theodorici quondam Regis --- nobis in præsente ostendit relegendas --- & --- petiit --- ut hoc --- confirmare deberemus --- Et ut hæc auctoritas firmior habeatur --- nos & præcelsa genitrice nostra Chrotechildis Regina manus nostræ signaculis subter eam decrevimus confirmare. Signum gloriosi Chlodovei Regis. Signum præcelsæ GENITRICIS NOSTRÆ CHRODECHILDIS Reginæ. Actum sub die Kalend. Junias anno I regni nostri.* GESTA FRANCORUM cap. 49: *Chlodovæus filius ejus* Theodorici *puer regalem sedem suscepit ex Regina nomine Clothilde progenitus. Nec multo post ipse Chlodoveus Rex puer mortuus est, regnavitque annos II.* Valeat itaque *Dode* ab Autore EPITAPHII & ALBERICO ad annum 694 Theodorici dicta conjux.

CHLODOVEUS Clotharius filius Theodorici ex Chrotilde, Rex Francorum.

DIPLOMA apud MABILLONIUM Diplom. pag. 474: *Chlodovæus Rex Francorum Vir inluster. Dum ante hus annus PROAVUS noster DAGOBERCTUS condam Rex solidus cento eximtis de Massilia civetate sicut ad cellario fisci potuerant esse exactati, ad basileca peculiaris patroni nostri Domni Dionysii, ubi ipsi preciosus in corpure requiiscit, & Venerabilis vir Chaino Abba præesse viditur, per sua præceptione concessisses, & PARENS* (Gallice parent) *noster SIGEBERCTHUS, seu & HABUN-*

COM

COLI NOSTRI CHLOTHARIUS & CHILDERICUS, etiam & GENETUR NOSTER THEUDERICUS condam Regis per eorum præceptionis hoc ibidem dinus concesserunt vel confirmarunt --- Ideo &c. Datum quod ficit mensis Junius dies quinque anno secundo regni nostri Noviento feliciter. Anno 692. Binominem fuisse evincunt CHARTÆ Childebercti fratris infra recitandæ, & Pippini Regis autographum ex DUBLETO & FELIBIENO apud MABILLONIUM pag. 481 in quo: *Missa petitione nobis suggesserunt* Sandionysiana familia *eo quod a longo tempore anteriores Reges Domnus Dagobertus & Chledovius, seu & postea Hildericus & Theudericus & CLOTHARIUS quondam Reges, etiam & Hilbertus ---* Clotharius ex ordine Regum necessario Clodoveus intelligendus est.

Edidit præterea MABILLONIUS tria placita Chlodovei III. Primum, pag. 473, datum *12 Augusti anno primo regni.* Alterum pag. 474, *15 Mai anno secundo.* Tertium pag. 475, *pridie Kalend. Martias anni tertii.* Divulgata annis 691. 692. 694. Ex quo egregie nostra sententia de Theodorici morte mensibus vel Aprili vel Majo asserta confirmatur. Majo enim & Julio Augustoque cucurrit primus Chlodovei annus. De gestis Chlodovei nihil est quod dicamus, cum speciem & nomen tantum gesserit.

ANNALES METENSES ad annum 693: *Cui,* Theodorico, *ob jam dictæ pietatis affectum filius ejus parvulus nomine Clodoveus a Pippino ordinatur in Regem. Qui dum QVARTUM ANNUM in Regno complevisset innocentem vitam finivit.*

CONTINUATIO FREDEGARII CHILDEBRANDINA cap. 101: *Chledoveum filium ejus* Theodorici *parvulum elegerunt in Regnum. Nec post multos vero annos prædictus Rex Chlodevæus ægrotans mortuus est, Regnavit autem annos IV.*

LATERCULUS TILIANUS pag. 781: *Chlodovæus regnavit annos IV obiit in V.* Reliqui scriptores & Chronica vel duos tantum aut tres annos regni attribuunt Chlodoveo. Ultra quatuor annos regnasse ex adductis certum est. Qvartus effluxerat Martio mense 695, cumque eum complevisset, statim mortuus est. Interest ad Chronologiam paterni simul atque avunculi obitus hæc pensiculatius demonstrare. Excerpsit ex Codice quodam vetustissimo Eusebiani Chronici notulam aliena sed ant qua manu adjectam suisque animadversionibus ad EUSEBIUM inseruit SCALIGER pag. 260, quæ ita habet: *Annum V Childeberti Regis Francorum Pippino jubente, ab Adam sunt anni V millia DCCCC. fuit Pascha X Kalend. Aprilis Ascensio Domini*

 fuit

fuit K. Madias per cyclum numerum annorum CXL. Repetitio a Capite Cycli. Cyclus designatur Victoris. Is annos 532 complexus ab Incarnationis anno 28 incluso prima vice cum anno 559 defluxerat, quod PAGII solidis argumentis superstructam probationem secuti in Clodoveo II monuimus. Repetitus sive alter Cyclus Kalend. Januarii 560 exorsus est. Ejus annus centesimus quadragesimus in annum Incarnationis 699 incidit. Eidem anno secundum calculum PAGII, SCALIGERI, atque MABILLONII Annus Mundi Eusebianus, celebratumque Pascha X Kalend. Aprilis conveniunt. Ergo 23 Martii 699 currebat annus V Childeberti, & 695 I annus ejus. Jam vero Chlodoveus obiit 695 finito quarto anno. Successerat Patri 691 XIX regiminis annum agenti, quartum vero a pugna Tetricensi. Childericus indubitato locum fecit Theoderico mense Martio anni 673. Ergo mense Martio 691 Theodericus, & mense Martio 695 Chlodoveus III decesserunt.

CHILDEBERTUS II Rex Francorum, filius Theodorici III ex Crotilde.

DIPLOMA apud MABILLONIUM Diplomat. pag. 476: *Childebertbus Rex Francorum inluster --- cognuscat magnitudo seu humilitas vestra, quod nos villa nuncupante Napsiniaco in pago Bitorico --- quem --- Domnus Godinus Lugdunensis urbis Episcopus --- pro alia villa --- tempore bonæ memoriæ GERMANO NOSTRO CLODOVIO condam Rege ad parte fisci in commutationis titulum visus fuit dedisse --- Datum quod ficit mensis Decembris dies XIII anno primo rigni nostri, Compendio ville nostra in Dei nomine feliciter.* (695)

ALIUD pag. 477: *Childebertbus Rex Francorum inluster --- Cum --- vir Magnoaldus Abba de monasterio Trusonevalle --- præceptione domno & GENETORE THEUDERICO quondam Rege se habere affirmat, ut nullus judex publicus ad causas audiendum vel fridda exigendum ibidem introitum nec ingressum habire non deberit. Quod nos --- Datum quod ficit mensis Aprilis dies octo, annum secundum regni nostri in Dei nomine Novigento feliciter.* (696) Consule præterea CHARTAS Childeberti ibidem sequentes, *25 Febr. anno 8 regni*, (703) *12 Martii anno 12*, (708) *8 Aprilis anno 15*, (709) datis. Ultimam apponere juvat: *Childebertus Rex Francorum Vir inluster. Cum in nostra vel Procerum nostrorum præsentia Mamacas* (hodie Maumaques sive Mommarques ad Isaram in pago Noviomensi: Vide MABILLONIUM & GERMANUM de palatiis voce Mamacæ.)

susp

--- *resideremus venientes Agentes --- Dalfino Abbate --- sancti Dionysii --- adserebant adversus Agentes inlustri Viro Grimoaldo Majorem domus nostræ, quod a longo tempore* CHLODOVIUS *quondam* AVUS *noster, seu & postbia avuncolus noster Childericus, vel Domnus &* GENETUR NOSTER THEUDERICUS, *etiam &* GERMANUS NOSTER CHLODACHARIUS, en Clotharium fratrem, quem priori Chlodoveum dixerat, *per eorum perceptionis illo telenen, quicquid de omnes neguciantes aut Saxonis vel quascumquelibet nationes --- ad illo mercado advenientes ad ipsa basileca S. Dionysii in integretate concessissent --- Datum quod ficit mensis December dies XIII anno XVI rigni nostri Mamaccas feliciter. (710)*

GESTA FRANCORUM autoris Coævi cap. 50: *Childebertus Rex justus migravit ad Dominum. Regnavit autem annos XVII sepultusque est Cauciago Monasterio Basilica S. Stephani Martyris.* (Choisy haud procul Compendio, Compiegne.) CONTINUATOR FREDEGARII contemporaneus pag. 104: *Childebertus regnavit annos XIII.* Vitio Librarii scriptum *XIII* pro *XVI* recte suspicantur MABILLONIUS & PAGIUS. XVII annos regni tuentur ERCAMBERTUS, CHRONICON BREVISSIMUM ex Codice Remensi pag. 781 LATERCULUS TILIANUS pag. 781 & GENEALOGIA ex Codice Capitulorum pag. 793 apud DUCHESNIUM T. I.

ANNALES METENSES: *Anno ab Incarnatione Domini 711 Hildebertus Rex obiit. Sepultusque est Cauciaco in Basilica Sancti Stephani martyris. Qui gubernante Pippino regnaverat annos XVI. Post cujus discessum Pippinus solita pietate filium ejus Dagobertum in Regem ordinavit* Ad eundem annum notarunt Chronicon MOISSIACENSE, Chronicon BREVE T. III pag. 349. FLORIACENSE pag. 354. Annales NAZARIANI apud FREHERUM T. I. TILIANI apud DUCHESNIUM T. II. pag. 6.

Chronicon MEDARDENSE a MABILLONIO, PAGIO & ECCARDO citatum: *Childebertus Rex Francorum obiit XVIII Kalend. Maji. Sepultusque est apud Causiacum in Basilica S. Stephani Protomartyris. Dagobertus junior puer, filius ejus successit.*

Optime consentiunt omnes in designando anno mortis. Rerum potiebatur Childebertus medio Martio 695, ex quo ad Martium 711 defluxerant anni XVI integri. Obiitque exactis XVI completis, inchoato XVII die XV Aprilis anni 711.

ERME-

ERMENECHILDIS
Uxor Childeberti II.

ACTA TULLENSIUM Episcoporum autore Sec. XII apud MARTENE Anecd. T, III. pag. 996 : *Deinde Garibaldus filius Volfaudi est a cunctis electus idoneus pontificii. Ipse --- acquisivit ad eandem, quam regebat, ecclesiam apud gloriosum regem Childebertum, interveniente ERMENECHILDE REGINA EJUS UXORE abbatiunculam unam in bonore S. Petri dicatam, quæ est sita in saltu nomine Dervo & villas, quæ cognominantur Magniaca villa & Boneriacus cum Capedonia super fluvium Saltum. Acquisivit etiam multa alia, sicut in ejus cartis habetur --- Hunc subsecutus Godo Episcopus --- is recuperationem cartarum, quas ignis consumserat, suæ ecclesiæ, apud Pipinum acquisivit Regem.* Hæc de Godone addere opus erat, ut in comperto ponatur, sermonem heic esse de Childeberto II. Albericus ad annum 719 : *Apud Tullum Girbauldo successit Godo.*

DAGOBERTUS III. Rex Francorum,
filius Childeberti II.

VITA SANCTI VRSMARI Abbatis Lobiensis apud DUCHESNIUM T. I. pag. 688 : *--- Beatus Ursmarus --- accersitus a Pipino seniore, sub quo regnaverunt Theodericus ab eodem Principe in Textricio villa devictus, nec non & filii ejusdem Theoderici Clodoveus & Childebertus, FILIUS quoque CHILDEBERTI DAGOBERTUS, idem Monasterium suscepit regendum ---*

VITA S. LEUFRIDI Abbatis ibidem pag. 689 : *Servus Dei Leufredus -- evenit, ut nobilissimum Principem Karolum Majorem Domus adiret, qui eo tempore, quo DAGOBERTUS REX CHILDEBERTI gloriosissimi Regis FILIUS, Regnum Francorum tenebat, curam reipublicæ nobiliter administrabat ---*

PRIVILEGIUM apud MARTENE Anecd. T. I. pag. 6 : *Dagobertus Rex Francorum Vir illuster --- Venerabilis Ibbolenus Abba de monasterio Anisola, qui est in pago Cynomanico,* Maine, *in honore peculiaris nostri patroni pii, beati videlicet Carilefi Confessoris constructus,* hodie S. Calais, *per missos suos Clementiæ regni nostri detulit in notitiam, eo quod consobrinus noster Guntramnus Rex ad ipsum monasterium sub omni immunitate per suam auctoritatem concessisset, & hoc posteà AVI nostri CHLOTARIUS*

TARIUS & item DAGOBERTUS, seu etiam CHLODOVEUS, nec non & CHLOTARIUS, etiam Domnus & AVUS noster THEODERICUS, nec non & AVUNCULUS noster item CHLODOVEUS & precelsus Domnus & GENITOR noster CHILDEBERTUS quondam reges --- confirmassent --- quapropter præsenti præcepto jubemus --- In Christi nomine Dagobertus Rex --- Data sub die XV. Kalend. Februarii.

GESTA FRANCORUM cap. 50: *Childebertus Rex --- migravit --- Regnavitque DAGOBERTUS FILIUS ejus pro eo --- Sequente tempore Dagobertus Rex ægrotans mortuus est, regnavitque annos V.* Eadem habet CONTINUATIO FREDEGARII cap. 104. & 106. Consentiunt ERCAMBERTUS, CHRONICON BREVISSIMUM ex Codice Remensi, LATERCULUS vero TILIANUS pag. 782: *Dagobertus regnavit annos IV. Obiit in V.*

Chronicon FONTANELLENSE MSC. apud HENSCHENIUM in Sigeberto cap. 101: *Dagobertus Rex Junior Benigno Abbati largitus est quartam partem de Arlauno Foreste anno quinto regni sui ---- Edita est autem hæc donatio, sive confirmatio a præfato Rege Dagoberto, anno Dominicæ Incarnationis DCC XV Indictione XIII, V Iduum Juniarum die Dominica. Eodem anno ipse Dagobertus Rex mortuus est.* Conspicuus hinc error CHRONICI Sec. XI scripti apud DUCHESNIUM T. III pag. 349, quod notavit falso diem: *Anno 715 obiit Dagobertus Rex junior XIV Kalend. Februarii, qui regnavit in Francia annis V.*

FULDENSES ad annum 715: *Dagobertus Rex mortuus est.* NAZARIANI 715: *Pugna Francorum & mors Dagoberti Regis.* Adstipulantur PETAVIANI pag. 7, MOISSIACENSES pag. 137, ubi loco II, IV legendum. METENSES ad annum 716: *Eodem tempore Dagobertus Rex obiit, qui regnavit annis V.* Excepit patrem declivi mense Aprili 711. Concessit itaque fatis anno V post 9 Junii 715.

THEODORICUS IV. filius Dagoberti III. Rex Francorum.

GESTA FRANCORUM cap. ultimo: *Franci vero deposito Chilperico THEUDERICUM II Cala* (Chelles) *Monasterio enutritum FILIUM DAGOBERTI junioris Regem super se statuunt. Qui usque nunc in Regno subsistit.*

CONTINUATIO FREDEGARII CHILDEBRANDINA cap. 107: *Quo mortuo Theodoricum Regem statuerunt in sedem Regni, qui nunc locum solii regalis obtinuit annis vitæ simul præstolatis.*

CHARTA ex FOLQVINO apud MABILLONIUM de re dipl. pag. 609: *Theodoricus Rex Francorum --- Cognoscat magnitudo & utilitas vestra --- Erkembodum Abbatem de monasterio Sitdiu per missos suo clementiæ nostri regni talem intulit notitiam, quod TRITAVUS noster THEODORICUS quondam Rex --- antecessori suo Bertine quondam Abbate --- tale beneficium concessisset --- unde & ipsam præceptionem jam dicti tritavi nostri --- nobis in præsentia ostendit ad legendum --- Præcipientes enim ut, quicquid constat, suprascriptum tritavum nostrum Theodericum quondam Regem --- concessisse --- Datum quod facit Novemb. dies decem anno primo regni nostri Conselentis castro. (720)*

CHARTA ex FOLQVINO apud MABILLONIUM de re dipl. pag. 609: *Theodoricus Rex Francorum --- Erkemboldus Abbas de Monasterio Sitdiu --- Clementiæ regni nostri suggessit, quod PROAVUS noster CHLODOVIUS quondam Rex --- ad prædictum monasterium Sitdiu --- concessisset --- Unde & præceptione ipsius Principis PROAVI nostri CHLODOVEI & confirmationibus præcelsorum AVUNCULORUM nostrorum CHLOTACHARII & CHILDERICI seu & AVORUM nostrorum THEODORICI & CHILDEBERTI atque CONSOBRINI nostri CHILPERICI quondam Regis ex hoc præ manibus se habere affirmat. --- Data quando facit Marcius dies III anno primo regni nostri Suessionis civitate in Dei nomine feliciter.* Anno 720; cujus primis mensibus surrogatus est Chilperico II.

Alia apud MABILLONIUM pag. 488: *Theudericus Rex Francorum Vir inluster --- in quo etiam loco* templo Sandionysiano *gloriosi parentis nostri, vel bonæ memoriæ PROATAVUS noster DAGOBERTHUS quondam Rex videntur requiescere --- Data ipsa die Kalendas Martias anno III rigni nostri (722) Valencianis in Dei nomine feliciter. Amen.*

Includimus, quæ documenta de origine Theodorici IV pandunt sequenti diagrammati:

Dago-

Dagobertus, proatavus.

Chlodoveus, proavus.

Clotharius & Childeberti avunculi. — Theodoricus III, tritavus & avus.

Childebertus avus

Dagobertus pater.

Theodoricus IV Rex 720.

CHARTA SANGALLENSIS apud GOLDASTUM Alem. T. II. pag. 36. nro 36: --- *Notavi quod feci in mense Junio V Idus Julias in anno XV regnante Domino nostro Teoderico Rege supra Carulum Majorem Domus.* (734)

CHRONICON BREVISSIMUM ex Codice Rhemensi pag. 781: *Theodoricus regnavit annos XVII. Annos VII interim alius Rex non regnavit.* LATERCULUS TILIANUS: *Theodoricus regnavit annos XVII. Carolus sine alio Rege imperavit annos IX.*

ANNALES FULDENSES ad annum 720: *Mortuo Hilprico, Carlus Teotricum in Sedem Regni constituit.* Ab anno 720 ad 737 defluxerunt anni 17. Defunctum itaque oportet 737, trimestri priori, quodsi completos volumus, anno 736, si incompletos.

BREVE CHRONICON interregnum ponit annis VII. LATERCULUS manifesto errore in annos IX excurrit. Addunt uterque: *Hildericus rex regnavit annos IX.* Extra controversiam est, Pipinum mense Majo 752 coronatum Regem, detruso in Monasterium Childerico. In GOLDASTI Alemannicis extat CHARTA numero 40 *data VII Idus Sept. anno X regni Ilderici Regis.* Septimæ Idus Septembris cucurrere anno 751. Eædemque Idus anni primi Childerici 742. Unde manifestum 742 Septembri jam regnasse Childericum. Subtractis septem interregni annis completis restat annus 736, incompletis 737. Cæterum in designandis annis mensibusque superantibus annos tum BREVISSIMUM CHRONI-

CON, tum LATERCULUS TILIANUS alioquin curiosi offenduntur, nullos vero adjecerunt nec unus nec alter menses, hinc completos arbitramur innuere annos XVII, tutoque colligimus Theodoricum Regem anno 737 defunctum fuisse. Atque hunc annum firmant commodum NOTÆ CHRONICÆ ex Codice Computi Ecclesiastici apud LABBEUM ab HENSCHENIO de tribus Dagobertis pag. 173 recitatæ : *A Nativitate Domini usque ad prædictum annum, in quo Theudericus Rex Francorum mortuus est, 737 : in quo anno Indictio V Epactæ XV Concurr. I ---- Pascha IX Kalend. Aprilis Luna XVII.* &c Unde simul evincere datur, Theodoricum IV ante Kal. Septembris 737 quibus Indictio VI exorsa, oppetiisse. Post fata Regis Carolus Martellus non e re sua judicavit novum creare Regem, cujus auspiciis regnaret, sed suo tantum nomine Francis præfuit regundis, donec e vita raperetur anno 741, relictis Carolomanno & Pippino filiis. Isti æqua lance regnum partiti proficuum duxerunt, sub umbra Regis imperitare Francis. Imposuerunt itaque, sex annis & aliquot mensibus inter regni evolutis, ex Meroveadarum gente oriundum Childericum sibi regem ante Septimum Idus anni 742 cujus regni annos & fata suo loco exposuimus.



LATER-

LATERCULUS CHRONOLOGICUS MEROVEADARUM REGUM.

Anno Christi 255. Franci primum memorati.
288. Genebaudus & Atech reguli Francorum.
300. Franci jugum Romanum decutiunt.
306. Ascaricus & Regaisus reguli a Constantino M. devicti.
355. Malarichus Rex Francorum claret.
374. Mellobaudus Rex Francorum occisus.
382. PRIAMUS Rex Francorum floret.
390. Sunno, Marcomir, & Genebaudus Romanos adgrediuntur.
399. Primus annus ab obitu S. MARTINI.
400. Sunno & Marcomeres cum Genebaudo superantur a Stilichone.
411. THEODEMER Rex Francorum occisus.
421. FARAMUNDUS REX.
428. CLODIO REX successit Faramundo.
431. Ab Aetio superatur.
437. ad Suminam fluvium usque penetrat.
445. Prœlium ad Hesdinum.
448. MEROVEUS post Clodionem Rex. Annus 49 ab obitu Martini.
451. Attila fusus.
458. CHILDERICUS I Rex. Dejicitur. ÆGIDIUS Romanus, Rex Francorum eligitur.
465. Childericus revocatur.
466. Clodoveus nascitur.
477. Aureliani Romanis extorsit.
481. Obiit Childericus I. CLODOVEUS I Magnus Rex.
486. Svessiones subactæ.
491. Thoringi debellati.
493. Crotildis ducta.
496. Armorici Britones subjugati.
Allemanni devicti.

496. 25 Dec. Rex & 3000 Francorum initiati facris Chriſtianis.
507. Pugna Vocladienſis. Gothi ultra Pyræneos dejecti.
508. Chlodoveus Conſul Patricius coronatur Rex Turonis.
509. Ripuaria in provinciæ formam redacta.
Charaticus Rex in Belgio debellatus.
Camaraci Reges extincti.
511. Chlodoveo mortuo diviſa Monarchia.

511. THEODORICUS I Rex Auſtraſiæ.
516. Chochilaicus Rex Danorum compreſſus.
517. Suppetiæ Hermenfrido Thuringo miſſæ.
522. Svavegotha ducta.
523. Auxilium præſtitum fratri contra Burgundos.
528. Thuringi ſubjugati.
530. Arverni recepti fugato Childeberto I.
534. THEODOBERTUS I poſt patrem Rex Auſtraſiæ.
539. Expeditio Italica.
548. THEODUALDUS Rex Auſtraſiæ mortuo patre.
551. Theudechildis, a Varnorum Rege Marito, remiſſa.

511. CHLODOMERES, CHILDEBERTUS I CHLOTHARIUS I Reges in Neuſtria.
523. Bellum Chlodomeris cum Burgundionibus.
524. Chlodomeres perit.
526. Enecti Chlodomeris filii.
530. Bellum Childeberti cum Theodorico.
531. Childeberti Expeditio Hiſpanica prima.
534. Burgundionum regnum in provinciæ formam redactum.
536. Arelatum & Maſſilia Gothis extorſæ.
542. Altera Childeberti impreſſio in Hiſpaniam, Vaſcones & Calabri recepti.
555. 556. 557. Bellum Clotharii I cum Saxonibus & Thuringis.

555.

LATERCULUS CHRONOLOGICUS.

555. Theodualdo defuncto CLOTHARIUS I Rex Austrasiæ.

558. Childeberto I mortuo

CLOTHARIUS I Monarcha Francorum.

559. Ultimus annus primi Cycli S. Victoris. A. 560 Kalend. Jan. orditur Cyclus alter.

560. Chramnus filius igne extinctus.

561. Clotharius I obiit.

SIGEBERTUS I Rex Austrasiæ.

CHARIBERTUS & CHILPERICUS I Reges Neustriæ.

GUNTRAMNUS Rex Burgundiæ.

562. Hunni devicti.

Svessiones occupatæ.

566. Hunni donis placati.

567. Charibertus decessit. Bellum cum Sigiberto ob Arelatum urbem.

567. Legati Constantinopolin missi.

567. Bella intestina.

568. Gunthramnus Longobardos arcet a finibus Galliæ.

575. Auxilia Byzantinis contra Persas missa.

Sigiberto peremto CHILDEBERTUS II Rex Austrasiæ 25 Dec.

576. Brunechildis nubit Meroveo.

577. Gunthramnus adoptat Childebertum.

578. Bellum cum Chilperico.

579. Synodus Cabilionensis.

580. Bellum intestinum.

581. Pax inita. Bellum cum Guntchramno.

583 Wandelino mortuo BRUNECHILDIS Tutrix.

584. Childebertus contra Longobardos movet.

584. Synodus Valentina.

584. CLOTHARIUS II Rex Neustriæ.

585.

585. Altera in Longobardos expeditio.	585. Bellum civile.
585. Iterum declaratur Gunthramni successor.	
	586. Expeditio Gunthramni in Septimaniam Gothorum.
	587. Denuo ingreditur Septimaniam.
588. Tertio bellum cum Longobardis.	
589. Pax Longobardica.	590. Gunthramnus movet in Armoricos.
593. Burgundionum regno auctus.	593. Gunthramno mortuo CHILDEBERTUS II Rex Burgundionum.
596. Bellum cum Varnis.	596. THEODORICUS II Rex Burgundiæ. Victoria Clotharii II.
596. Obiit. THEODOBERTUS II. Rex Austrasiæ.	600. Debellatio Clotharii II.
601. Wascones domiti a fratribus.	
605. Bellum inter fratres oritur.	
612. Theodoberto extincto THEODORICUS II Rex quoque Austrasiæ.	
613. SIGIBERTUS II succedit patri.	613. Sigeberto II victo, Brunechilde punita

CLOTHARIUS II Rex Francorum.

622. Dagobertus constituitur Rex Austrasiæ.
628. DAGOBERTUS I Rex Francorum defuncto patre.
629. Legati Byzantium missi.
630. Bulgari in Bavaria collocati. Bellum cum Carentanis.
631. Charibertus Tholosanus defunctus.
632. Conditum S. Dionysii Monasterium.

632. SIGIBERTUS III Rex Austrasiæ.	DAGOBERTUS I Neustriæ & Burgundiæ Rex.
633. Carentani fusi.	635. Chlodoveus II designatur Rex Neustrasiæ.

638.

LATERCULUS CHRONOLOGICUS.

638. Dagoberto I in Neuſtraſia & Burgundia ſuccedit CHLODOVEUS II.

639. Radulfus Dux Thuringiæ rebellat.

655. Sigiberto defuncto CHILDEBERTUS III Rex intruſus, quo dejecto

CHLODOVEUS II Monarcha.

656. CHLOTHARIUS III excipit patrem in Monarchia.

660. CHILDERICUS II Rex Auſtraſiæ.

660. Clotharius III ſibi retinet Neuſtraſiam & Burgundiam.

670. Defuncto Chlothario III.

CHILDERICUS II Monarcha.

673. Childericus occiditur. CHLODOVEUS III Rex Auſtraſiæ per annum

673. THEODORICUS III Rex Neuſtriæ & Burgundiæ

674. DAGOBERTUS II Rex Auſtraſiæ.

677. cum Dagoberto II belligerat.

678. Occiſo Dagoberto & Sigeberto filio THEODORICUS Rex omnium Francorum.
687. Pugna Tertricenſis. Pipinus Heriſtallius authoritatem regiam uſurpat.
691. CHLODOVEUS IV Rex Francorum a Pipino conſtitutus.
695. CHILDEBERTUS III Rex Francorum juſſu Pipini
711. DAGOBERTUS III Rex Francorum ex voluntate Pipini.
714. Pippino ſuccedit Carolus Martellus.
715. CHILPERICUS II ex Monacho Rex Francorum ſub Raginfrido Majore Domus.
717. Carolus Martellus auſpiciis conſtituti CLOTHARII IV Regis Auſtraſiæ Chilpericum invadit. Eudo Aquitanus diademate inſignitus.
718. Chilpericus II a Martello victus.
720. Regio nomine exuitur atque THEODORICUS IV ſubſtituitur Rex.
727. Chilpericus obiit Attiniaci privatus.
737. Defuncto Theodorico CAROLUS MARTELLUS absque Rege imperat.
741. Carolo Martello ſuccedunt Carolomannus & Pipinus Majores Domus.
742. CHILDERICUS III Rex declaratus.
752. Majo menſe depoſito Childerico III PIPINUS Rex Francorum.

CATALOGUS SCRIPTORUM.

Acta Episcoporum Tullensium *Sec. XII scripta* apud Martene Anecd. T. III.
Adelmus Benedictinus nomine Aimoini notior apud Freherum Script. Francicis & apud Duchesnium T. II sub titulo Annalium Eginhardi *Sec. IX.*
Agathiae Excerpta apud Duchesnium T. I. *Sec. VI.*
Aigradus Monachus, Vita S. Condedi apud Mabillonium S. II. Benedictino. *Suppar.*
Vita Ansberti Rothomagensis IX. Febr. in A. Antw.
Aimoinus Monachus apud Freherum Scr. Franc.
Alcuini Vita S. Vedasti in Act. Antw. 6 Febr. *Sec. VIII.*
Alexandrinum Chronicon.
Altfridus Vita S. Ludgeri apud Leibn. Scr. Brunsv. T. I & XXVI Martii in Act. Antw. *coaevus.*
Amandi Vita. *Vide Baudemundus & Philippus.*
Ammianus Marcellinus ex editione Valesii. *Sec. IV.*
Anastasius Vitis Pontificum Romanorum apud Murator.
Anonymi Panegyris in Constantinum Augustum.
Anselme Histoire Genealogique de France.
Audoenus Rothomagensis, Vita S. Eligii sui Sodalis apud Duchesnium T. I. pag. 627. & Surium 1 Decemb.
Audoeni Vita per Fredegodum apud Surium 24 Aug. & Duchesnium T. I. *Scr. Sec. X.*
Aventini Annales Boicii.
S. Aviti Vita apud Duchesne T. I pag. 534. *autore incerto sed pervetusto.*
Homiliae in Bibl. Maxima Patrum.
Epistolae apud Duchesne T. I. pag. 835. *Sec. VI.*

S. Baboleni Vita *incerto Autore* apud Duchesnium T. I. pag. 658.
Bandominia Vita S. Radegundis apud Surium XIII. Aug. *scripsit Sec. VII.*
Baronii Annales.
S. Bathildis Vita *autore coaevo* in Act. Antw. XXVI Januarii.
Baudemundus, Vita S. Amandi Trajectensis VI Febr. in Act. Antw. *coaevus.*
Bedae Venerabilis Historia Ecclesiastica & Epitome sive Recapitulatio apud Commelinum. *Sec. VIII.*
S. Benigni Chronicon apud Dacherium Spic. T. II. & apud Labbe Bibl. MS. *ab anno 753 ad 1223.*

Besuense Chronicon ibidem.
Beka *Joannis* de Episcopis Ultrajectensibus.
S. Berthæ Vita apud Duchesnium T. I. pag. 665. *autore coævo.*
S Berthilæ Vita *autore coævo* apud Duchesnium T. I. pag. 668.
Bertiniani Annales apud Duchesnium & Muratorium.
le Blanc des Monnoyes de France.
S. Boniti Vita *autore coævo* in Act. Antw. XV Januarii.
du Bos Histoire Critique de l' Etablissement de la Monarchie Françoise T. I. II. III. Amst. 1735.
Broweri Annales Trevirenses.
Breve Chronicon *usque ad annum 810.* apud Duchesne T. III. pag. 125.
Brevissimum Chronicon. *Vide Laterculus Tilianus.*
Bruschii Monasteriologia.
Bruschius de Episcopis Argentoratensibus.
Bucherii Belgium Romanum *citatum aliis.*

Chiffletii *Petri Francisci* dissertatio de annis Dagoberti *citata aliis.*
Chiffletii lumina Salica.
Anastasis Childerici.
de Ampulla Rhemensi.
Chorographia Italiæ medii ævi in Tomo IX Muratorii.
Claudianus de laudibus Stiliconis.
S. Columbani Vita. *Vide Jonas.*
Coccius de Dagoberto *citatus aliis.*
Cointii Annales Ecclesiastici.
S. Condedi Monachi Vita apud Duchesnium T. I pag. 684. *autore fere coævo.*
S. Consortiæ Virginis Vita apud Duchesnium T. I pag. 549.
Continuator Marcellini Comitis apud Duchesnium T. I & Scaligerum de Emendatione temporum.
Cyprianus, Vita S. Cæsarii apud Duchesnium T. I. pag. 231. *Coævus.*

Pere Daniel Histoire de France.
S. Desiderii Cadurcensis Episcopi Vita *autore coævo* apud Labbe Bibl. MS. T. I.
- - - - - - Epistolæ in T. I Duchesnii Scriptorum Franc. pag. 875.
Ditmari *Joh. Wilhelmi* Programma. 1709.
Divionense Chronicon apud Dacherium.
Duchesne *Andreæ* Scriptores rerum Francicarum.

Z z   Eccardi

CATALOGUS SCRIPTORUM.

Eccardi Leges Salicæ.
Wurzburgica:
Eddii Seftii Vita S. Wilfridi Eboracenfis Sec. VII fcripta apud Mabillonium Ann. Bened.
Eginhardus de Vita Caroli M.
Eginhardi Annales *ab anno 741* apud Duchefne T. II.
Ercamberti Fragmentum de regibus & Majoribus domus apud Duchefne T. I pag. 780.
Ermoldus Nigellus apud Menkenium T. I. *fcripfit Sec. IX.*
Evagrius Hift. Ecclef. in Bibl. Maxima Patrum. *Sec. V.*
Eumenii Rhetoris Panegyricus Conftantino M. dictus. *Sec. IV.*
S. Eueicii Vita apud Duchefnium T. I pag. 534. *autore vetufto.*

S. Faufti Vita Sancti Mauri *Praeceptoris fui* XV Januarii in Act. Antw.
Flodoardi Hiftoria Rhemenfis. in Bibl. Maxima Patrum T. XVII.
Florentii Presbyteri Vita S. Rufticolæ *ad Celfam Monafterii civitatis Tricaftine Abbatiffam fcripta* apud Duchefnium T. I pag. 564.
Floriacenfe Chronicon *ab anno 698.* apud Duchefnium T. III.
Fortunati, *Venantii Clementiani Honorii*, Epifcopi Pictavienfis Carmina Hiftorica. *Sec. VI.* apud Duchefnium T. I.
Fortunatus Presbyter de Vita S. Medardi apud Surium 9 Junii & Duchefn. T. I pag. 545. & 554.
Folquinus apud Mabillonium de re diplomatica.
Fragmentum Alberto Argentinenfi præfixum apud Urftifium T. II.
Fredegarii Chronica Excerpta. Chronicon *ab anno 592 - 642.* Continuatio juffu Childebrandi fcripta *ufque ad annum 752.* apud Freherum & Duchefn. T. I.
Fontanellenfe Chronicon. *citatum aliis.*
Freheri Scriptores rerum Francicarum.
Fridegodus Vita S. Audoeni Rothomagenfis apud Surium 24 Aug. & Duchefnium T. I. pag. 635. *S. X.*
Frodoberti Vita Autore Monacho Cellenfi *Sec. VIII fcripta* VIII Januarii in Act. Antw. & apud Duchefnium T. I.
Fuldenfes Annales.

Genealogia B. Arnulphi apud Pithoeum & Duchefnium.
Genealogia Regum Francorum a Faramundo ufque ad Pipinum. *Ex vetufto Codice Conciliorum & Capitularium* apud Duchefnium T. I pag. 793.

Genea-

CATALOGUS SCRIPTORUM.

Genealogia posterorum Clodionis Regis. *Ex Veteri MS. Cod. Salicarum Legum* apud Duchesnium T. I. pag. 793.
Genealogia Regum Francorum *a Meroveo usque ad Pipinum* apud Duchesnium T. I. pag. 794.
Geographus Ravennas.
Gesta Dagoberti a Monacho Dionysiano scripta, ut putat Duchesnius, *coævo*, sed quod Henschenius demonstravit, *aliquot Seculis juniori*. Apud Duchesn. T. I & in Struvii Actis Litter.
Gesta Francorum Epitomata *autore Sec. VIII.* apud Freherum & Duchesnium.
Goldasti Scriptores rerum Allemannicarum.
Gregorii Magni Papæ Epistolæ. *Sec. VI.*
Gregorii Turonensis Historiarum Libri X. *usque 592.* apud Duchesnium & Freherum.
S. Gregorii Vita per S. Ludgerum *discipulum* in Annalibus Fuldensibus Broweri.
Gundlingiana.

Henschenius de Sigeberto Rege 1 Februarii in Act. Antw.
de S. Amando VI Febr.
de III Dagobertis Diatriba Antwerpiæ 1655.
Proœmium T. III Martii.
Hincmari Vita S. Remigii apud Duchesnium T. I. pag. 524. *Sec. IX.*
Hermannus Contractus apud Canisium. *Sec. XI.*
Hucbaldi Elonensis Vita S. Ratrudis apud Duchesn. T. I. p. 655. & Surium.

Idatius apud Canisium & Duchesnium T. I.
Jonas Abbas Vita S. Johannis Reomaensis in Act. Antw. *Sec. VII.*
Jonas Abbas Vita S. Columbani apud Surium 20 Nov. & Meichelbekkium & Duchesnium T. I. pag. 551. *Sec. VIII.*
Johannes Biclariensis Abbas apud Canisium.

Labbe MS. Bibliotheca.
S. Lantberti Lugdunensis Vita. *Autore Monacho Fontanellensi coævo* apud Mabillonium Sec. III. Bened.
Laterculus Tilianus *a Clothario II usque ad Pipinum* apud Duchesne T. I. pag. 781.
Leibnitius de Origine Francorum.
S. Leodegarii Vita per *Anonymum coævum* apud Duchesnium T. I. pag. 600. per Ursinum apud Duchesnium T. I. pag. 617.

CATALOGUS SCRIPTORUM.

S. Leufridi Vita apud Duchesnium T. I. pag. 689. *Autore suppari.*
Loiseliani Annales *ab anno 741. ad 814.* apud Duchesnium T. II.
S. Licinii Vita *a suppari* scripta apud Duchesnium T. I. p. 544. & in Act. Antw.

Mabillon de re diplomatica.
Annales Benedictini.
de Liturgia Gallicana.
de sepulchris antiquorum Regum.
de vero die & anno ordinationis itemque obitus Desiderii Cadurcensis in Analectis.
Analecta T. III.
de anno mortis Dagoberti I & Chlodovei junioris. T. III. Analect.
Wilhelmus Malmesburiensis de gestis Pontificum Anglicorum apud Savile.
Majoribus Domus, Fragmentum de, apud Duchesnium & Freherum.
Claudius Mamertinus Paneg. Juliano dicta. *Sec. IV.*
Martene & Durand Anecdotorum Tomi V.
Collectionis Amplissimæ T. V.
Marii Aventicensis Chronicon *ab anno 444. ad annum 580.* apud Duch. T. I.
Marii Aventicensis Continuator *580.-625.* apud Duchesnium T. I.
S. Marculphi Abbatis Vita apud Duchesnium T. I. pag. 535.
Mascow Historie der alten Teutschen.
Masenius ad Broweri Trevirensia.
Medardense Chronicon apud Dacherium Spicilegio.
Metenses Annales apud Duchesnium T. III.
Milonis Monachi suppletio Libelli de Vita S. Amandi apud Duchesnium T. I. pag. 647.
Miræi Donationes Belgicæ.
Moissiacense Chronicon *usque ad 810.* apud Duchesnium T. III.
Monasteriense Chronicon apud Martene Anecdotorum T. III.

Nazariani Annales apud Duch. Tom. II. & Freherum Scr. Rer. Germ. T. I.
Nicetii epistolæ apud Freherum & Duchesnium T. I. pag. 852. seqq.

Odorannus Senonensis apud Duchesnium T. II.
Paulus Orosius. *Sec. VI.*

Cœlius Pacatus Latinus Drepanus Panegyris Theodosio dicta.
Pagi Critica Baroniana.
Dissertatio Hypatica.

Paulus

Paulus Diaconus.
S. Pauli Verdunensis Vita in Act. Antw. VIII. Febr.
Perardi Collectio documentorum Vide pag. 26.
Petaviani Annales *usque ad 780.* apud Duchesnium T. II.
Philippi Harvengii de Eleemosyna Abbate bonæ spei Ord. Præmonstr. Vita S. Amandi in Act. Antw. VI Febr.
Joh. Isaaci Pontani Origines Francicæ. Hardervici 1616.
Procopius de bello Vandalico & Gothico ex interpretatione Claudii Maltreti.
S. Præjecti Vita *Autore coætaneo* in Act. Antw. XXV Januarii.
Priscus Rhetor apud Duchesnium T. I. *Sec. V.*
Prosperi Chronicon apud Labbeum, Pithœum, Scaligerum, Canisium atque Duchesnium *ad annum usque 444.*

S. Remacli Vita apud Surium T. V. Autore Notgero Leodiensi Episcopo. Extat quoque apud Duchesnium T. I.
Rogerii Roverii Historia Abbatiæ Reomaensis 1637.
Ruinarti Annales Francici apud Eccard. LL. Salicis.
Roriconis Monachi Gesta Francorum ab ipsius gentis origine usque ad obitum Chlodovei Magni apud Duchesnium T. I. pag. 794. *Vixit Sec. VIII.*
Ricardus Hagulstadensis apud Twysden & Seldenum Scr. Angl.

S. Salabergæ Vita *autore contemporaneo* apud Duchesnium T. I. pag. 647.
Scaliger de Emendatione temporum.
Sidonii Carmina & Epistolæ. *Sec. V.*
Sigeberti I Regis Vita autore Sigeberto in Act. Antw. I Febr. & autore anonymo apud Duchesnium T. I. pag. 591.
Sigeberti Chronologia.
Sulpitius Alexander apud Gregorium Turonensem.
Stubbs *Thomæ* Actus Pontificum Eboracensium apud Twysden & Seldenum Scr. Angl.

Tacitus.
Theophanis Chronologia in Corpore Byzantino.
S. Theoderici Abbatis Rhemensis Vita *autore fere coævo* apud Duchesnium T. I. pag. 538.
Theodorici Epternacensis Vita S. Irminæ. *citata aliis.*
Tiliani Annales *usque 789* apud Duchesnium T. II.
Thorne *Wilhelmi* Monachi Cantabrigiensis Chronicon *Sec. XIV. scriptum* apud Twysden & Seldenum Scr. Angl.

Theo-

CATALOGUS SCRIPTORUM.

Theodorus Monachus S. Galli Vita S. Magnoaldi Confessoris apud Canisium & Surium 6 Sept.

Valesii Res Francicæ
ad Marcellinum Notæ.
Vadianus apud Goldastum Scr. Alem.
S. Vedasti Vita in Actis Antw. VI Febr. & apud Duchesnium T. I. pag. 524. quam Alcuinus *Sec. VIII.* emendavit.
Vopiscus in Historia Augusta.
Ursinus de Vita S. Leodegarii apud Duchesnium T. I. & Surium 2 Octobr.
S. Ursmari Vita apud Duchesnium T. I. pag. 688. & Surium 18 April. pag. 185. Autore Ratherio Veronensi Episcopo.
Usuardus Martyrologio.

Walafridi Strabonis Vita S. Galli apud Duchesne T. I.
S. Wandregisili Vita *autore coævo* apud Mabillonium Annales Bened.
Wendelini Glossarium.
Boetii Wulfini Vita S. Juliani Confessoris apud Duchesne T. I. pag. 542.
Westmonasteriensis Flores Historiarum.

Yperii Chronicon S. Bertini apud Martene Anecd. T. III.

Zosimus.

